PII X

PONTIFICIS MAXIMI

ACTA

Vol. V.



ROMAE
EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA VATICANA
1914

ANN. MCMVII-MCMVIII.

Series Altera.

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
GEORGIO S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI KOPP
EPISCOPO VRATISLAVIENSI
VRATISLAVIAM

—

PIVS PP. X

DILECTE FILI NOSTER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quod annos viginti quinque in Episcopatu feliciter confeceris, accepimus non modo Dioecesim tuam faustis observantiae significationibus te prosequi, sed etiam Venerabiles Fratres ex omni Germania Episcopos mox te conventuros, ut tibi communiter gratulentur, Deoque tecum, pro eius erga te benignitate, gratias agant. Magni enimvero faciendum est huiusmodi Collegarum tuorum in te studium: cum enim declarat, fraterna vos caritate; quae maxime antistites Sacrorum decet, inter vos diligere; tum etiam indicat, quanta tuorum sit amplitudo meritorum, quae tam amplum tibi testimonium honoris conciliant. Equidem animi ingeniique tui comperta habemus ornamenta; tuamque in omni munere officii eximiam diligentiam prudentiamque perspeximus; accedit autem, quod te Nobis et Apostolicae Sedi,

summa non solum necessitudine dignitatis sed coniunctione voluntatis, addictum deditumque cognovimus. Quamobrem quum te Nos vicissim habeamus, ut nosti, carissimum, aestimare potes, quam libenter tibi hac tua temporis faustitate gratulemur, quamque studiose divinam rogemus bonitatem, ut pastorali tuo muneri multos adiiciat annos et fructus. Id Nos et nunc facimus, et in ipsa corona gratulantium tibi Venerabilium Fratrum, licet absentes corpore, praesentes tamen animo, iterum facturi sumus. Auspicem interea caelestium bonorum ac testem peculiaris Nostrae benevolentiae, tibi, dilecte Fili Noster, tuoque Clero ac populo Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die I Ianuarii anno MCMVII. Pontificatus Nostri quarto.

PIVS PP. X

EPISTOLA

DILECTO FILIO
MAVRITIO DEMIMVID, PROTONOTARIO APOSTOLICO
PII OPERIS A SANCTA INFANTIA
MODERATORI GENERALI
PARISIOS

—

PIVS PP. X

DILECTE FILI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Gratum Nobis cum officium nuper fuit tuarum litterarum, tum volumen adiunctum litteris. Ex his quidem perspeximus tuam egregiorumque virorum, qui de supremo Consilio sunt istius Operis, singularem erga Nos pietatem et fidem; sed ea iam comperta Nobis erat. Ex illo autem rem cognovimus, quae in dubio esse potuit, saluberrimum idem Opus nihil quicquam detrimenti anno superiore passum esse, immo aliquantum crevisse. Qua de re primum omnium, ut oportet, divinae bonitati habenda est gratia: deinde peculiaris vobis tribuenda laus, dilecti Filii, qui quo inimiciora christianae beneficentiae sunt tempora, eo magis industriae vestrae nervos contenditis, ut institutum optimum tueamini. Hac igitur laude vos ornamus perlibenter, atque ut Opus

vestrum benignus auxilio suo semper foveat, Deum precamur. Vos vero pergite, ut consuevistis, imploranda largitate bonorum, infinitae miserabilium puellorum multitudini opitulari: eorumque sane supplices voces omnibus, qui sibi benigne fecerint, vobis maxime patriaeque vestrae Dei miserentis opem impetrabunt. Cuius auspicium eademque pignus paternae benevolentiae Nostrae, sit Apostolica Benedictio, quam vobis atque universis *Sanctae Infantiae* fautoribus amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die x Ianuarii anno MCMVII, Pontificatus Nostri quarto.

PIVS PP. X

EPISTOLA

DILECTIS FILIIS
P. CALON PRAESIDI
ET CONSILIO GENERALI SOCIETATIS VINCENTIANAE
PARISIOS

PIVS PP. X

DILECTI FILII
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Societatem vestram facimus, ut nostis, plurimi: utpote quae, ad sananda horum mala temporum, accommodatissimam ex christiana caritate medicinam petat. Itaque, quum cupiamus optemusque, ipsam et numero sodalium et copia meritorum in dies crescere, intelligitis, quam libenter ex litteris vestris adiectoque rationum libro cognoverimus, annum proximo superiorem egregie optatis Nostris respondisse. Idque etiam in Gallia; tametsi, pro difficultatibus quae istic rem catholicam urgent, detrimentum instituti vestri, non incrementum exspectari poterat. Gratulamur igitur vobis; atque ut tam bene, uti facitis, mereri de Ecclesia perseveretis, hortamur. Quamquam industria studiumque vestrum hortatione non eget. Ipsi enim, commoti miseriis et periculis christiani populi, quae quotidie ingravescunt, magis magisque

vos, eius causâ, elaboraturos pollicemini. Restat ut labores vestros adiuvare laetisque augere fructibus Deus pergat: quod Nos quidem enixe precamur. Interea divinae benignitatis auspicem, eamdemque paternae benevolentiae Nostrae testem, vobis, dilecti Filii, universae Societati Vincentianae itemque aerumnosis, quos habet curae, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXV ianuarii an. MCMVII, Pontificatus Nostri quinto.

PIVS PP. X

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
IOSEPHO SEBASTIANO S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI NETO
PATRIARCHAE OLYSSIPPONENSI
ET VENERABILIBVS FRATRIBVS
ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS LVSITANIAE

—

PIVS PP. X

DILECTE FILI NOSTER ET VENERABILES FRATRES
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Documentum sane evidens curae atque studii, quo Romanus Pontifex in bonum vestrae gentis excubat, dedisse putandus est Decessor Noster Illustris, quum clericorum e Lusitania Collegium Romae constituit. Nam, quod lecti a nationibus singulis alumni Sacrorum hic, prope cineres beati Petri, summo inspectante Ecclesiae antistite, ad pietatem doctrinamque, sacerdote dignam, excolantur, nemo non videt, quantopere hoc valeat, non modo ad catholici nominis fovendam unitatem, sed etiam ad parandam sacerdotum copiam, qui suae quisque ecclesiae praeclaro futuri sint subsidio. Atque hoc subsidii genus Pontifex, quum aegre ferret soli deesse Lusitaniae, comparatum eidem voluit: apteque praescriptis quae ad tuitionem huius Collegii pertinerent,

ipse in eamdem rem, quantum pro facultatibus potuit, largus contulit. Nos autem qui, quod Decessor vestrâ causa instituit, non minore prosequimur voluntate, beneficentiam eius, quatenus licuit, imitati sumus. Sed optimum Institutum, ut patet, constabiliri et vigere haud aliter poterat, quam si pontificali providentiae et benignitati vestra, Venerabiles Fratres, navitas accederet. Itaque in Apostolicis Litteris de Collegio constituendo, nostis esse cautum, ut Episcopi singuli e regno Lusitano saltem binos, ex coloniis autem regni singulos submitterent alumnos, quibus utique ipsi suppeditandos sumptus curarent. Iamvero molestum est quod accipimus, misere laborioseque Collegium consistere; cui nisi mature subveniatur, periculum esse, ne quasi quodam languore solutum deficiat: non quo ibi desideretur bonae disciplinae robur, sed quod nimia sit paucitas alumnorum, quam tenuitas reddituum consequitur, impar sumptibus. Etenim, si alumnos exceperis, qui Apostolicae Sedis ope, qui pientissimi vicecomitis de Pesqueira liberalitate, qui collatitia aliorum pecunia sustentantur, vix unus et alter sunt reliqui, dioecesanis qui educentur impensis. — Quum ita se res habeat, quid sit opus facto, dicere vix attinet: ipsi intelligitis vestrum esse, omnem dare operam, ut quae a Decessore Nostro praescripta sunt, exsequi maturetis. Num Collegium Lusitanum, quod Nobis videtis esse cordi, sinetis, ut in Urbe, capite Ecclesiae catholicae, florentibus aliis ceterarum nationum, unum dispereat: atque ita dioeceses vestrae iacturam faciant optatorum fructuum, simulque existimationi vestratis populi quaedam ignaviae labes adspergatur? Id vos, pro vestra vel erga Apostolicam Sedem pietate, vel pastorali industria. vel caritate

patriae, minime passuros arbitramur. Ceterum vobis, instantibus nempe et suadentibus ut oportet, necessariae ad rem facultates ex collatione et munificentia catholicorum certe suppetent: quorum quidem adiumentis, ut alia tuemini, sic huiusmodi institutum, quod tanti est, tueri licebit.

Haec, dilecte Fili Noster et Venerabiles Fratres, habuimus familiariter fidentique animo communicare vobiscum: quibus, auspicem caelestium munerum ac testem benevolentiae Nostrae, Apostolicam Benedictionem amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die x Februarii anno MCMVII, Pontificatus Nostri quarto.

PIVS PP. X

EPISTOLA

DILECTIS FILIIS
IOANNI LEROLLE PRAESIDI
ET SVPREMO CONSILIO
CONSOCIATIONIS CATHOLICAE EX GALLIA
PARISIOS

—

PIVS PP. X

DILECTI FILII
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Egregie vos esse studiosos Nostri et obsequentes Apostolicae Sedi, quod iam probe noveramus, confirmarunt Nobis eae nuper litterae, quibus nuntiastis sollemnem consociationis vestrae conventum ex omni Gallia mox acturos vos esse Burdigalae. Nos autem cum significatio observantiae et obsequii vestri, tum ipse nuntius voluptate affecit: eo magis, quod intelleximus, celebrandi conventus probatores fautoresque exstitisse complures Sacrorum antistites; eumque celebratum iri praesidentibus dilecto Filio Nostro, Cardinali Episcopo Burdigalensi et Venerabilibus Fratribus, Andegavensi et Agennensi Episcopis. Tanto florere vos episcopalis suffragio auctoritatis, gratum Nobis est: qui quidem consociationem istam ut Ipsi caram habemus, ita omnibus bonis

commendatam velimus. — Profecto nihil salutarius est aut magis hodie necessarium quam quod illa contendit: scilicet quum tam inimica fidei moribusque christianis eunt tempora, praestare incolumes a periculis iuvenes consociatos, per eosque iuvenum Galliae ceterorum, quoque ex ordine sint, salútem quaerere. Ad id vero assequendum optima ea sunt, quibus utitur: aperte christianam sapientiam vivendo profiteri; omni abstinere concertatione studioque politicarum partium; in rerum socialium doctrina usuque versari diligenter; voce, scriptis, institutis idoneis propositum urgere. Nec minus probanda est ipsa consociationis disciplina et temperatio, unde multiplices, qui per Galliam sunt, sociati iuvenum coetus, apte inter se connexi, tamquam totidem membra, unum corpus efficiunt. Recte, inquimus; quum communis omnium causa sit, salvam velle totius nationis iuventutem: quam coniunctionem propterea vobis, dilecti Filii, studiose conservandam esse censemus. Atque illud etiam perseverate constanter, quod sapienter instituistis, facere, ut in singulis sodalitiis vestris ministerio fruamini boni cuiuspiam doctique sacerdotis, qui non sacris tantum congressionibus praesit, verum disceptationes etiam ac studia doctrinae moderetur. Ita enim in causa; quae religionem admodum contingit, facile gravium errorum pericula vitabitis. Ceterum sana in agendo libertas salva semper vobis per sacerdotem erit, qui eatenus sodalitiis coetibusque vestris interest, ut, prout res postulaverit, doctoris, consiliarii, monitoris munere fungatur. Sed, quae vestra est maxima laus, obedienter accurateque Romani Pontificis de actione catholicorum sociali praescriptiones exsequi, in eisque exsequendis Episcoporum alio-

rumque Pastorum rite observare ductum, hanc vos laudem ante omnia retineatis, magnopere hortamur. Quippe praecipua ratio pollicendi de consociatione ista optatos fructus, in arcta ipsius necessitudine cum Ecclesia consistit. Commode autem ad hanc ipsam necessitudinem vel magis adstringendam proximus valebit conventus vester, cui tantus Sacrorum antistitum favor consensusque comitatur. — Quare agite, dilecti Filii: et, praeterquam Pastorum vestrorum, voce etiam benevolentiaque Nostra confirmatis animis, consulite, quemadmodum, tam necessario tempore, utiliorem Ecclesiae patriaeque vestrae navare operam ex instituto possitis. Nos, interea, pro singulari sollicitudine et cura, in qua, dilectae Galliae causâ, sumus, enixe rogamus Deum, ut vos, quibuscum bonae futuri spes adolescunt, lectissimis benignitatis suae muneribus foveat. Quorum auspicem, vobis, dilecti Filii, universaeque consociationi vestrae Apostolicam Benedictionem, amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXII Februarii anno MCMVII, Pontificatus Nostri quarto.

PIVS PP. X

DECRETVM

S. ROMANAE ET VNIVERSALIS INQVISITIONIS
QVO CONFIRMATVR EXCOMMVNICATIONIS SENTENTIA
IN IOSEPHVM RENATVM VILATTE
IAM LATA

Feria IV die 6 Martii 1907

Vigilanti cura iam pridem Suprema S. O. Congregatio maioris excommunicationis sententiam tulit in Iosephum Renatum Vilatte. De quo homine fama fert, eum, cum ecclesiastici ac vel episcopalis ordinis splendorem, quem vehementer ambibat, consequi aliquamdiu frustra tentasset, in duos tandem incidisse haereticos et schismaticos viros qui seipsos episcopos esse asserebant, quamquam ab Ecclesia nunquam fuissent agniti. Horum alter ei presbyteratus alter episcopatus ordinem conferre attentabat. Deinceps in Urbe personaliter comparuit veniam et absolutionem petiturus, quam non impetravit cum compertum esset eum mala fide petere. Eo autem postmodum temeritatis progressus est, ut rebellem sacerdotem Paulum Miraglia episcopum consecrare sacrilego et irrisorio conatu praesumpserit. Pro quo facinore tandem, feria IV die 13 Iunii anni 1900, sententia excommunicationis nominatim in eum est lata.

Cum vero hodie praefatus pseudoepiscopus Iosephus Renatus Vilatte Lutetiae Parisiorum consederit, ibique catholici cultus usurpatione et profanatione scandala et schismata fovere non erubescat, huic Supremae S. O. Congregationi opportunum visum est memoratam excommunicationis sententiam, qua Iosephus Renatus Vilatte nominatim perculsus est, confirmare prout praesenti decreto confirmat.

Caveant igitur fideles et maxime sacerdotes quovis modo eius sacrilegis operibus consentire vel favere, ne in foveam in qua misere iacet. ipsi quoque incidant. Qui vero ab eo decepti hucusque cum eo communicaverint, sine mora ad saniora redeant consilia, quo a poenis ecclesiasticis absoluti extremam ruinam evadere queant.

PETRVS PALOMBELLI, *S. R. et U. I. Notarius.*

DECRETVM

SACRAE CONGREGATIONIS CONSISTORIALIS
QVO PROVINCIA CIVILIS « SANTIAGO DEL ESTERO »
IN REPVBLICA ARGENTINA
A DIOECESI TVCVMANENSI DISCERPTA
IN NOVAM DIOECESIM ERIGITVR
SANCTI JACOBI DE ESTERO NVNCVPANDAM

—

Ea est in quibusdam ex Americae Meridionalis regionibus dioecesium amplitudo, ut ad incommoda praecavenda, quae spirituali fidelium regimini exinde obveniunt, eas dividere, novasque ex ipsis constituere Episcopales Sedes, ubi primum fuerit opportunum, necesse omnino sit. Postquam enim dioeceses eaedem erectae fuerunt, adeo in Americae Meridionalis Rebus publicis, ob exterorum praesertim immigrationem, excrevit populi multitudo, ut qui primo constituti fuerunt Pastores, ad dioeceses sibi commissas, ea qua oportet sedulitate, regendas impares iam nunc evaserint. Eapropter Apostolica Sedes novissimis hisce temporibus opportunas quasvis nacta est occasiones, ut tum in Brasiliana Republica tum in Argentina tum etiam alibi novae excitarentur dioeceses ac novae constituerentur ecclesiasticae Provinciae.

Quum igitur perillustris vir Ioseph Figueroa Alcorta, Reipublicae Argentinae Praeses, nuper apud Apostolicam Sedem instituerit, ut e Tucumanensi dioecesi, quae provincias de

Tucuman, de Catamarca, atque Santiago del Estero vulgo nuncupatas complectitur, provincia « Santiago del Estero » separaretur, atque in Episcopatum erigeretur, SSmus Dñus Noster Pius PP. X oblatas preces benigne excipiens rem ad examen Sacri Consilii deferendam existimavit S. R. E. Cardinalium, qui negociis ecclesiasticis extraordinariis expediendis praepositi sunt, cumque propositam novi Episcopatus erectionem spirituali animarum bono quam maxime profuturam perspectum fuerit, Sanctitas Sua votis Excellentissimi Argentinae Reipublicae Praesidis obsecundandum censuit.

Quod igitur bonum, faustum felixque sit, Dei gloriae Religionisque incremento benevertat, Beatitudo Sua, ratione habita potestatis Apostolicae Sedi expresse reservatae in Apostolicis Litteris « *In Petri Cathedra* » XV Kalendas Martias anno ab Incarnatione Domini MDCCCXCVI datis, quibus universae Argentinae Reipublicae dioeceses novis finibus circumscriptae sunt, novam sanciendi Argentinae eiusdem Reipublicae dioecesium circumscriptionem, quandocumque id in Domino opportunum visum fuerit, quin ullum Antistitum vel Capitulorum assensum exquiri, vel territorialem ullam compensationem constitui aut attribui fuerit necesse, Provinciam « Santiago del Estero » vulgo appellatam e Tucumanensis Episcopalis Ecclesiae territorio seiungere, eamque in dioecesim separatam erigere et constituere decrevit, in eum qui sequitur modum.

I.

In primis Sanctitas Sua de Apostolicae potestatis plenitudine provinciam « Santiago del Estero » vulgo nuncupatam

e Tucumanensis dioecesis territorio, cui relatis Apostolicis Litteris « *In Petri Cathedra* » xv Kalendas Martias, anno ab Incarnatione Domini MDCCCXCVI sub Plumbo datis attributa fuit, avulsit, separavit et seiunxit in separatam ac novam dioecesim erigendam, atque eam novi Episcopatus dioecesi a Sancto Iacobo sub titulo « del Estero » nuncupandae, ubi novus Episcopus eiusque successores semper residere debebunt, perpetuo adsignavit et constituit, omnesque incolas utriusque sexus sive laicos, sive clericos vel religiosos, non tamen exemptos, in eadem provincia commorantes, itemque Ecclesias, Conventus, Monasteria, pia Instituta, si quae adsint, et alia quaecumque saecularia ac regularia beneficia ab ordinaria iurisdictione Tucumanensis Praesulis atque ab omni iure Capituli Cathedralis Templi perpetuo exemit, atque subtraxit, ac Episcopali Ecclesiae Sancti Iacobi « del Estero » noviter erectae eiusque futuro Antistiti, pro suis territorio, dioecesi, Clero et Populo perpetuo supposuit atque subiecit.

II.

Novae huius dioecesis fines iidem erunt ac illi, quibus eadem Provincia « Santiago del Estero » in eius territorium constituta secundum civiles leges circumscribitur. Ad Boream proinde neo-erecta dioecesis provincia Saltensi atque Regione seu, uti aiunt, Gubernio « Chaco » nomine limitabitur, ad Ortum atque Meridiem, respective provinciis Sanctae Fidei et Cordubensi; ad Occasum tandem provinciis continebitur Tucumanensi et de Catamarca, ex quibus in posterum dioecesis ipsa Tucumanensis constituetur.

III.

Urbem autem Provinciae « Santiago del Estero » principem, quae et ipsa ab eodem Sancto Apostolo sub titulo « del Estero » nuncupatur, in civitatem Episcopalem novae dioecesis eadem Sanctitas Sua erigi voluit, eidemque hac de causa iura omnia, honores et praerogativas concessit, quibus ceterae in Argentina Republica exsistentes civitates pontificali sede insignitae earumque cives fruuntur et gaudent.

IV.

Ecclesiam in eadem civitate honori Beati Iacobi Maioris sacram Beatitudo Sua in Cathedralem Ecclesiam noviter erectae dioecesis sub eodem titulo et invocatione constituere dignata est, et in ea Sedem et Dignitatem Episcopalem pro uno Episcopo e dioecesis nomine appellando, qui eidem Ecclesiae eidemque civitati et dioecesi, ut supra constituendae, praesit, Synodum convocet, et omnia et singula iura, officia, et munia episcopalia habeat et exerceat cum suis capitulo, mensa episcopali, ceterisque cathedralibus et pontificalibus insignibus, iurisdictionibus, praerogativis, privilegiis, honoribus, gratiis et indultis realibus, personalibus et mixtis, quibus ceterae in Argentina Republica exsistentes Cathedrales Ecclesiae earumque Praesules, non tamen titulo oneroso aut peculiari indulto, gaudent et gaudere poterunt, de Apostolicae potestatis plenitudine erigere et instituere.

V.

Cum maxime intersit ut neo-erecta dioecesis Sancti Iacobi sub titulo « del Estero » congruis pecuniae subsidiis provi-

deatur, quibus novus Episcopus eiusque successores Dignitatem Episcopalem decenter tueri valeant, atque divini cultus expensis consulatur aliisque dioecesis necessitatibus, haud dubitat Beatitudo Sua quin Reipublicae Argentinae Rectores, quorum instantiis Episcopalis eadem Ecclesia Sancti Iacobi « del Estero » erecta est, novae huic Sedi eamdem annuam pecuniae summam civili lege sint suppeditaturi, qua ceterae in Argentina Republica exsistentes Episcopales Ecclesiae fruuntur, eamque eadem Beatitudo Sua Sedi ipsi pro eius dote attribuit et assignat.

VI.

Cathedrale Capitulum novus dioecesis Sancti Iacobi « del Estero » Episcopus, ubi primum fieri poterit, secundum canonicas sanctiones, Tridentinae praesertim Synodi decreta, erigendum curabit, servato Canonicorum numero, servatis iisdem Dignitatibus, ad instar aliarum Cathedralium Ecclesiarum quae in Argentina Republica actu iam constitutae sunt. Interim donec Capitulum ipsum fuerit canonice constitutum, Episcopum in praestantioribus suae dioecesis negotiis expediendis consilium sibi ex probatis et prudentibus viris assumet eorumque prudentia utetur.

VII.

Ubi autem Cathedralis Ecclesiae Capitulum fuerit legitime erectum, facultatem ipsi Sanctitas Sua concedit statuta, ordinationes et decreta secundum sacrorum canonum atque Tridentini Concilii praescripta conficiendi, quae tamen ordinarii Antistitis cognitioni et approbationi subiicienda erunt,

itemque facultatem gaudendi privilegiis omnibus, quibus alia Cathedralia Capitula in Argentina Republica iam constituta fruuntur, iis tamen exceptis, quae aut ex titulo oneroso aut ex peculiari indulto fuerint acquisita.

VIII.

Illud autem vehementer exoptat ac praecipit Sanctitas Sua, ut novus Episcopus. ad normam eorum, quae in Tridentina Synodo constituta sunt, Sacro Seminario in eadem dioecesi Sancti Iacobi « del Estero », cum primum fieri poterit, constituendo impigram sedulamque navet operam, omni cura adhibita, ut in eo alumnorum pietas, morum probitas vigeat ac floreat, et doctrina tum philosophica tum theologica, ex fontibus praesertim hausta Angelici doctoris, sacrae iuventuti tradatur.

IX.

Iniunxit pariter Beatitudo Sua, ut documenta omnia personas vel loca respicientia, quae hactenus Tucumanensi dioecesi pertinuerunt, atque nunc hoc Decreto novae dioecesi attributa sunt, a Cancellaria extrahantur Tucumanensis ipsius dioecesis, et Cancellariae tradantur noviter erecti Episcopatus, in eadem in posterum fideliter servanda.

X.

Novam hanc dioecesim Sancti Iacobi « del Estero » eadem Beatitudo Sua suffraganeam constituit Archiepiscopi Bonaërensis, eiusque metropolitico iuri subiecit atque submisit.

XI.

In hac nova Episcopali Ecclesia erigenda et limitibus eidem adsignandis expresse Sibi et Apostolicae Sedi Sanctitas Sua facultatem reservavit, novam eiusdem dioecesis dismembrationem seu circumscriptionem libere decernendi quandocumque id in Domino opportunum visum fuerit, quin aut Episcopi vel Capituli in id adsensum exquiri, aut territorialem ullam compensationem constitui vel attribui debeat.

XII.

Ea tandem omnia quae res, iura, et personas ecclesiasticas respiciunt, quorum expressa mentio in hoc Consistoriali Decreto facta non est, statuit Sanctitas Sua firma et rata secundum canonicas leges et Ecclesiae Catholicae disciplinam manere debere. Si qua tamen difficultas aut controversia quoad praemissa in nova erecta dioecesi in posterum oritura sit, ea ad Apostolicam Sedem deferenda erit, quae, rebus accurate perpensis, prout de iure decernet.

XIII.

Episcopalem eamdem Ecclesiam Sancti Iacobi « del Estero » Beatitudo Sua, habita ratione conditionis temporum, in florenos auri de Camera triginta tres cum tertia floreni parte taxari iussit, et huiusmodi taxam in libris Camerae Apostolicae de more describi.

XIV.

Ad praemissa demum exsequenda SSm̃us Dn̄us Noster deputari voluit, cum facultatibus necessariis et opportunis etiam subdelegandi ad effectum, de quo agitur, quamcumque aliam personam ecclesiastica dignitate insignitam, itemque definitive pronunciandi super quacumque oppositione in exsecutione peragenda quomodolibet oritura, R. P. D. Achillem Locatelli Archiepiscopum Titularem Thessalonicensem atque in Argentina Republica Internuntium Apostolicum, iniuncta eidem obligatione ad Sacram hanc Congregationem Consistorialem intra sex menses transmittendi acta et Decreta omnia authentica forma exarata quae in exsecutionis actu conficienda erunt, mandavitque praesens hisce de rebus edi Decretum Consistoriale, perinde valiturum ac si super iisdem Apostolicae Litterae sub plumbo expeditae fuissent, et inter Acta referri Sacrae huius Congregationis Consistorialis.

Datum Romae hac die XXV Martii, anno Domini MCMVII.

Pro R. P. D. Secretario
Ivlivs Grazioli
S. C. Consistorialis et S. Collegii
Substitutus.

EPISTOLA

DILECTIS FILIIS

RODVLFO MAIOCCHI SAC. AB INTIMO NOSTRO CVBICVLO

NAZARENO CASACCA SAC. SODALI AVGVSTINIANO

TICINVM

—

PIVS PP. X

DILECTI FILII

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Codicis diplomatici, quem de fastis Ticinensibus sodalium Augustinianorum vos conficitis, bina adhuc edita volumina muneri Nobis, ut scitis, dilectus filius, Thomas Rodriguez summus magister Ordinis, haud ita pridem praesens obtulit. Is quidem hoc Nobis praestare officii, recte suum esse existimavit, qui istius vestri operis potissimus usque ab initio fautor exstitisset. Ex ipso, gratum Nobis accidisse munus, item nostis: nunc autem libenter facimus, dilecti Filii, ut his vos litteris appellemus. Etenim opus a vobis institutum, pro vestra et sagacitate in monumentis rerum gestarum vestigandis, et subtilitate in excutiendis, et solertia in illustrandis, probari doctis peritisque intelligimus. Atque illud, quum vobis laudi, tum vero gaudemus religiosae familiae, cuius est causa susceptum, esse honori. Quippe inde eminet, quantum Ticinensis vel Ecclesia vel civitas debeat alumnis magni Augu-

stini, quamque multi in iis, maxime ex quo tempore apud basilicam, tumulo Patris legiferi nobilitatam, consederunt, viri sanctimonia, doctrina, egregie factis commemorabiles fuerint. Talia revocari atque in conspicuo poni, admodum etiam opportunum hodie videtur, quum religiosae vitae professio invidiose ab improbis ignaviae socordiaeque nomine notari solet.

Itaque vestrorum laborum fructibus gratulamur: atque ut in ea quae restant, pari studio incumbatis, magnopere auctores sumus. Interea divini auspicem auxilii, ac testem paternae benevolentiae Nostrae, Apostolicam Benedictionem utrique vestrum peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXX Martii anno MCMVII, Pontificatus Nostri quarto.

PIVS PP. X

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS DIOECESES INTERAMNENSIS ET NARNIENSIS
AEQVE PRINCIPALITER INTER SE CONIVNCTAE DECLARANTVR

—

PIVS PP. X

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Cogitantibus Nobis ex Apostolico officio assidue studioseque in tanta varietate causarum, quantam Ecclesiae universae gubernatio complectitur, quae res praecipue curam diligentiamque Nostram desiderent, quum alia occurrunt, tum Dioecesium distributio vetus, quae multis locis immutanda, accommodatius ad haec tempora videatur. Quo in genere magnas difficultatum moles obsistere, quominus id plane exsequamur, quod Ecclesiae commodis atque animarum saluti valde foret opportunum probe sentimus: interea tamen pro rei copia, quae in praesens Nobis est, aggredi ad eiusmodi propositum constituimus. Itaque advertentes animum ad Ecclesiam Interamnensem, quam suo destitutam Pastore, administrandam ex Apostolicae Sedis auctoritate, renuntiato nuper finitimo Episcopo commisimus, Nos quidem idoneis rationum momentis adducimur, ut qui ipsi Ecclesiae ut administrator praefuturus esset, eumdem praeesse ut Episcopum velimus. Quare de Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine

Interamnensem et Narniensem Ecclesias aeque principaliter inter se coniungimus atque unimus: ita scilicet ut ambae iurisdictioni, regimini atque administrationi subsint unius eiusdemque Episcopi, qui proinde Interamnensis-Narniensis perpetuo nominabitur. Idcirco, Venerabilis Frater Franciscus Moretti, electus a Nobis Narniensis Episcopus, non hanc solum, sed Interamnensem quoque Sedem secundum Sacrorum statuta Canonum occupabit: similiterque successores ipsius canonicam possessionem Interamnensis seorsum et Narniensis Ecclesiae accipient. Ad geminam autem gubernandam Dioecesim una erit Curia Episcopo; sed episcopales domus duae; siquidem in alterutra Dioecesi residere poterit: in utraque tamen quotannis, plus minusve temporis suo arbitratu deget. Eidem sacra olea conficere, pastoralem visitationem inire et concludere, convocare Synodum, ceteras Episcopalis ministerii functiones peragere, quamquam duabus Dioecesibus communes, in alterutra licebit. Hac posita Ecclesiarum unione, statuimus etiam, ut duplicis Episcopalis mensae redditus idem Episcopus percipiat; isque ecclesiastica beneficia unius Dioecesis promiscuae Sacerdotibus alterius conferre possit. Ceterum bina exstabunt, ut antea, Seminaria: bina item Capitula, salvis eorum redditibus, privilegiis et iuribus: edicimus autem quotiescumque communem Episcopalem Sedem vacare contigerit, eisdem Capitulis unum in locum congregatis, ius esse communem Vicarium Capitularem, ad sacrorum Canonum praescripta, eligere. Praesentes vero Litteras nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae vel aliquo alio etiam substantiali defectu notari, impugnari,

vel in controversiam vocari posse, sed eas semper validas et efficaces exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et spectare poterit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari: sicque et non alias per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, et si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum atque inane fore decernimus. Non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XII Aprilis MDCCCCVII, Pontificatus Nostri, anno quarto.

L. ✠ S.

R. CARD. MERRY DEL VAL,
a Secretis Status.

DECRETUM

SVPREMAE S. CONGREGATIONIS S. OFFICII
DE IEIVNIIS ET ABSTINENTIIS
RELIGIOSARVM VTRIVSQVE SEXVS FAMILIARVM PROPRIIS

—

Feria IV die 24 Aprilis 1907.

In generali conventu Supremae Sacrae Congregationis S. Officii habito supradicta feria ac die, proposito dubio: « Num articulo 6° Decreti feriae IV 5 Septembris 1906 *De « ieiunii et abstinentiae lege in Italia reformanda* quidquam de- « rogatum fuerit ieiuniis et abstinentiis Religiosis utriusque « sexus Familiis a propriis ipsarum Regulis et Constitutio- « nibus praescriptis »; Emi ac Rmi Dni Cardinales Inquisitores Generales, praehabito Rmorum DD. Consultorum voto, respondendum decreverunt: « Negative; ideoque quod ad « ieiunia et abstinentias ex generali Ecclesiae praecepto « servandas, Religiosas utriusque sexus Familias, pecu- « liari ieiunii aut abstinentiae voto non adstrictas, eadem « ac simplices fideles lege uti posse; quod ad ieiunia vero « et abstinentias eis proprias, standum esse uniuscuiusque « ipsarum Regulis et Constitutionibus ».

Et sequenti feria V die 25 eiusdem mensis SSmus D. N. Pius divina providentia PP. X relatam Sibi Emorum Patrum resolutionem benigne adprobare et confirmare dignatus est.

Datum Romae ex Aedibus S. Officii, die 1 Maii 1907.

PETRVS PALOMBELLI, *S. R. U. I. Notarius.*

LITTERAE APOSTOLICAE

IN FORMA BREVIS

QVIBVS INSIGNE ORDINIS EQVESTRIS A SANCTO SEPVLCHRO MILITARE TROPAEO ORNATVR AC NONNVLLA SIVE DE PERSONIS PATRIARCHAE HIEROSOLYMITANI IN OMNI TERRARVM ORBIS REGIONE VICEM GERENTIBVS SIVE DE VESTIBVS SIVE DE REBVS ORDINIS VACANTE HIEROSOLYMITANA SEDE EXPEDIENDIS DECERNVNTVR.

VENERABILI FRATRI
PHILIPPO PATRIARCHAE HIEROSOLYMITANO

—

PIVS PP. X

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quam multa te Ordinemque a Sancto Sepulchro universum benevolentia complectamur, exploratum haud ita pridem habuisti, quum, Romae commorato, licuit tibi, plus semel, animum Nostrum per occasionem perspicere de Equestri Ordine studiose sollicitum, huiusque memoriarum, sive de comparatis in Ecclesiam meritis, sive de servata diligenter cum Romano Pontifice coniunctione, non oblitum. Horum quidem recordatio meritorum facit ipsa per se, ut

nulli Decessorum in diligendo Equestri Ordine concedamus; siquidem et aequum arbitramur, et iucundum reperimus eas illustrium hominum Sodalitates singularibus benevolentiae indiciis augere, quae et Ecclesiae sint ornamento, et humano generi civilique cultui utilitati. Quapropter voluntatem Nostram luculentum in modum Ordini universo testaturis, illud placet decernere, gratiaeque caussa paternique animi ergo permittere, ut qui in Equestrem Ordinem sunt adlecti, insigne Sodalitatis tropaeo militari decorent, superiore in parte collocando, propria Ordinis Cruce per sericam taeniam undati operis colorisque nigri inde pendente. Magno deinde Magisterio Ordinis uni Pontificis Summi Personae adservato, volumus ut, quem Patriarchatus latini Hierosolymitani munere fungi contingat, in eo, utpote Locum Tenente Ordinis eiusdem, ius et potestas confirmata permaneant Equitum auctoritate Nostra nominandorum, qui quidem in trinam distribuendi classem, ut antea, erunt, Equitum, id est, primae classis, seu a Magna Cruce; Equitum alterius classis, seu Commendatorum, quibus exornandis licebit, secundum peculiaria promerita, addere numisma; Equitum denique tertiae classis, nullo peculiari describendorum nomine. Quo vero splendidior in omni orbis terrarum regione dignitas Equestris coetus appareat, itemque quo aptius negotia persolvantur Ordinis, id plane probamus, aliquot, pro cuiusque necessitate regionis, ex Equestri Ordine deligi et constitui, qui, quod ad Ordinem spectat, vicem Patriarchae obtineant, eiusque personam publice referant. Equites autem omnes non dissimili ac antea, utentur veste, nisi quod album ex lana pallium superinduent, rubra Cruce ad sinistram contexta. Qui tamen, ut supra

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
FRANCISCO MARIAE S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI RICHARD
ARCHIEPISCOPO PARISIENSI
CETERISQVE ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS EX GALLIA
INSTITVTI CATHOLICI PARISIENSIS
PATRONIS

—

PIVS PP. X

DILECTE FILI NOSTER, VENERABILES FRATRES
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Sub exitum mensis huius, uti accepimus, una simul conventuri vos estis, ut *Instituti Catholici Parisiensis*, cuius patrocinium geritis, rationes de more cognoscatis. Quoniam, propter difficultates temporum, ea quoque res in consultationem vestram venire posse videtur, quid ipsi Instituto faciatis in posterum, Nostrum esse putavimus haec ad vos, pro rei gravitate, scribere. Equidem intelligimus, iniqua Civitatis vestrae ab Ecclesia seiunctio in quantas vos rerum angustias coniecerit. Destituti scilicet reditibus legitimis, ideoque adacti ex piorum collationibus tuitionem divini cultus omnem petere, aegre plerumque habebitis quod novis necessitatibus tot tantisque suppetat, nisi sumptus, quamvis utiles, non adeo tamen necessarios, minuere studueritis. Verum

nolimus, hoc parsimoniae studio, quidquam detrimenti Instituto inferri de quo loquimur. Neque enim illud ponendum est in genere earum rerum, quarum iacturam fieri liceat, sed quas vel magno negotio retineri oporteat. Facile apparet hoc misero Galliae tempore unam omnium maxime in discrimen vocari, iuventutem. Subducta quippe, magnam partem, de vigilantia tutelaque Ecclesiae, in publica cogitur gymnasia et lycea magna, quae quidem ad extrahendam radicitus ex animis religionem fere comparata esse dixeris. Iamvero, si tanto huic malo mederi omnino non possumus; at saltem, ut in usum iuvenum nostrorum catholica, quae restant, studiorum domicilia conservemus integra, eniti pro viribus debemus. Itaque non potest esse dubium, quin vos Institutum Parisiense tueri posthac, ut fecistis adhuc, atque etiam ornare velitis, quemadmodum Religionis defensio postulat. Nostis, in athenaeis publicis propria quaedam magisteria ad impugnationem catholicae veritatis nuper esse constituta. Optandum est, apud Institutum vestrum similium disciplinarum magistros esse, qui adversarios refellant. Sed quo pacto id commode, hoc est novo sine onere fiat, vestrum consilium erit. Vos autem dabitis operam, ut, praeterquam idoneis magisteriis, numero etiam auditorum Institutum floreat: propterea curae vobis erit, de dioecesanis vestris adolescentes clericos spei bonae eo plures submittere, qui philosophiam ibi et doctrinae sacrae studia penitus colant. — Ac de philosophia, petimus a vobis, ne unquam patiamini in Seminariis vestris minus sancte observari quae providentissime Litteris Encyclicis *Aeterni Patris* Decessor Noster praecepit. Permagni ad custodiam et tutelam Fidei hoc interest. Certe Nobiscum

doletis, e Clero praesertim adolescenti quasdam erumpere coepisse, periculi et erroris plenas, novitates sententiarum de ipsis fundamentis doctrinae catholicae. Sed eas fere non aliunde proficisci patet, quam a superbo quodam fastidio sapientiae veteris, quo ratio philosophandi principum Scholasticorum, quamquam multiplici Ecclesiae praeconio consecrata, contemnitur. Ergo vos vestros alumnos sacri ordinis non debetis velle philosophiae praeceptis tantum imbui quantum in legitima litterarum institutione praescriptum est publice, sed eo uberius et altius, nempe secundum disciplinam Thomae Aquinatis: ut solidam deinceps possint sacrae theologiae reique biblicae scientiam percipere. — Auspicem divinorum munerum ac testem praecipuae benevolentiae Nostrae, vobis, dilecte Fili Noster et Venerabiles Fratres, Apostolicam Benedictionem amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die VI Maii anno MCMVII, Pontificatus Nostri quarto.

PIVS PP. X

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
DOMINICO EX ORDINE CISTERCENSIVM
EPISCOPO LIMBVRGENSI

—

PIVS PP. X

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Nihil magis probari Nobis poterat, quam quod ex tuis litteris accepimus, te, de condendo clericorum Seminario, quo dioecesis ista iam nimium diu caret, tuis et decessorum tuorum votis satisfacere iam posse, atque in eo esse ut opus aggrediare. Etenim res agitur, quae ad Clerum sancte, ut oportet, educendum maxime conducit; ideoque, secundum statuta Concilii Tridentini, in primis est Episcopo, qui sui memor officii sit, accuranda. Tuque, pro pastorali diligentia tua, recte maturas id efficere, quum tibi facultates adsunt, quod tam longinquo spatio propter difficultates temporum non licuit. Nam, etsi videri potest, satis consultum esse usque adhuc alumnis istius Ecclesiae, quum in aliena Seminaria distribuerentur, tamen multo praestat eos sub oculis et assidua vigilantia et cura Episcopi sui ad sacerdotales virtutes disciplinasque rite institui; idque quum aliis causis, tum praesertim

ut ab ipso queant cognosci penitus, a quo ad sacrum munus promovendi sunt. Quamobrem quotquot istic sunt qui dioecesis bono student, omnes debent, ad saluberrimum tuum consilium exsequendum, tibi praesto esse: erunt autem, ut Nos quidem confidimus. Nos vero, ob tale documentum studii tui, summa te benevolentia complectimur; et auspicem caelestium bonorum, tibi, Venerabilis Frater, atque omnibus qui in eodem opere te adiuverint, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die VIII Maii anno MCMVII, Pontificatus Nostri quarto.

PIVS PP. X

LETTERA CIRCOLARE

DELLA SACRA CONGREGAZIONE DEI VESCOVI E REGOLARI
AGLI ARCIVESCOVI E VESCOVI D'ITALIA
SUGLI STUDI NEI SEMINARI

Illustre e Molto Rev. Monsignore come Fratello,

La S. Congregazione dei VV. e RR., avendo avuto dal S. Padre l'incarico di riordinare i Seminari d'Italia, oltre ad aver presi a tal fine speciali provvedimenti, ha creduto opportuno di proporre un Programma generale di studi per uniformare e migliorare l'insegnamento nei Seminari medesimi.

Nell'elaborare il Programma si è preso a base dell'ordinamento degli studi la divisione dei corsi che è stata ormai introdotta in quasi tutti i Seminari, cioè in Ginnasio, Liceo, Teologia.

Per le materie d'insegnamento nel Ginnasio e nel Liceo e per la loro distribuzione, si è ritenuto doversi seguire, con le necessarie modificazioni, i programmi vigenti in Italia; e ciò, non perchè siano perfetti, ma principalmente per le seguenti ragioni:

1.° I programmi in vigore rappresentano innanzi alla società lo sviluppo della cultura che oggi si richiede, onde l'opinione pubblica circonda naturalmente di maggiore stima

coloro che vengono istruiti secondo i medesimi; e il rifiutarli sarebbe mettere il clero, almeno secondo il giudizio di molti, al disotto dei secolari.

2.° È da considerare inoltre che i nostri alunni non possono, in via ordinaria, decidersi seriamente sulla loro vocazione allo stato ecclesiastico, se non quando sono giunti a una età più matura: sembra quindi utile di ordinare gli studi in modo che gli alunni possano trovarsi in grado di fornirsi de' titoli legali, e con ciò esser più liberi nella scelta dello stato. Senza dire poi che, detti titoli, anzichè nuocere, saranno giovevoli anche a quelli che Dio si degnerà di chiamare alla vita sacerdotale.

Una saggia e accorta direzione impedirà facilmente, o attenuerà di molto, gl' inconvenienti che potrebbero nascere dal caso di alunni che tentassero di rimanere in Seminario, dopo il Ginnasio, al solo scopo di conseguire la licenza liceale.

Finalmente il programma del Liceo non aggiunge alle materie che debbono far parte della Filosofia nei Seminari, se non la continuazione dello studio delle Lettere e della Storia, studio che è necessarissimo anche agli alunni del Santuario, per riuscire *instructi ad omne opus bonum.*

Si è stimato conveniente di premettere un anno di Propedeutica alla Teologia, sia per completare l'insegnamento della Filosofia, sia per esporre alcune materie che non troverebbero facilmente luogo nel corso teologico; ma da questo anno si potrà ottenere la dispensa dalla S. C. dei VV. e RR., quando venga dimostrato che nel Liceo si è provveduto per una adeguata preparazione alla Teologia.

Per gli studi teologici sono determinate le materie neces-

sarie a renderli completi, e che nondimeno possano comodamente svolgersi in quattro anni.

Si propone poi qualche esempio d' orario che potrà servir di guida ai Prefetti degli Studi.

Tale è il Programma che, debitamente approvato dalla suprema autorità del S. Padre, mi pregio di rimettere alla S. V. con la preghiera di far sì che, nel prossimo anno scolastico, il medesimo entri pienamente in vigore per i corsi di studi stabiliti in codesto V. Seminario.

La S. V. è pregata ancora di riferire a questa S. C. circa l' ordinamento scolastico di codesto V. Seminario, come pure di trasmettere l' elenco degl' insegnanti e la lista dei libri di testo adottati.

Nutro ferma fiducia che, grazie alle cure diligenti della S. V., sarà assicurata l' esatta osservanza del Programma, la quale contribuirà efficacemente a perfezionare la cultura del clero, ponendolo in grado di compiere, con maggior frutto per le anime, la sua alta missione.

Augurandole dal Signore ogni bene, con riverente stima mi pregio di confermarmi

Roma, 10 Maggio 1907.

come Fratello

D. Card. FERRATA, *Prefetto.*

F. Giustini, *Segretario.*

PROGRAMMA GENERALE DI STUDI

I. – Divisione del corso di studi.

Il Corso di Studi in tutti i Seminari d' Italia si divide in Ginnasio, Liceo e Teologia.

II. – Ginnasio.

a) Nessuno sarà ascritto alle classi ginnasiali se non presenti il certificato che ne dimostri l' idoneità, per aver compiuto regolarmente le classi precedenti, o non ne superi il relativo esame.

b) Il Ginnasio avrà un corso di cinque anni, diviso in cinque classi, nelle quali s' insegneranno le materie dei programmi vigenti, seguendone anche la distribuzione delle ore, in modo però che, da una parte, si dia una certa preferenza alla lingua latina in tutte le classi, e dall' altra, si mettano gli alunni in grado di prendere la licenza ginnasiale.

c) Si assegnerà almeno un' ora per settimana in ogni classe per l' istruzione catechistica.

III. – Liceo.

a) Nessuno sia ammesso al Liceo che non abbia regolarmente compiuto le classi ginnasiali, superandone gli esami.

b) Il Liceo sarà diviso in tre classi, corrispondenti a tre anni di studio, le quali per le materie e per le ore d' insegnamento si adatteranno ai programmi vigenti; in modo che gli alunni possano prendere la licenza liceale, e d' altra parte si dia un più ampio sviluppo alla sana filosofia (§ IV, *b, c*).

c) Si dovrà assegnare almeno un' ora per settimana all' insegnamento della Religione.

IV. – Anno preparatorio alla teologia.

a) In questo corso, oltre a rendere più profonda la conoscenza della filosofia, si studieranno speciali materie, le quali potranno esser

quelle indicate nell'esempio d' orario che si trova in calce di questo programma (Quadro *A*).

b) Nei Seminari dove sarà stabilito questo speciale anno di Propedeutica, lo studio della filosofia nei tre anni di Liceo dovrà comprendere: psicologia, logica e metafisica generale, etica.

c) Dove si ottenesse dispensa da quest'anno, nei tre anni di Liceo, per i chierici aspiranti al sacerdozio, oltre le materie stabilite nei Programmi, si dovranno assegnare almeno due ore di più per settimana, fosse anche nel giovedì, per compire lo studio della filosofia, specialmente di quelle parti che sono necessarie per una adeguata preparazione agli studi teologici.

V. — Teologia.

a) La Teologia avrà un corso di quattro anni diviso in quattro classi, con un orario regolare di quattro ore d' insegnamento al giorno.

b) Esso comprenderà le materie seguenti: Luoghi teologici – Introduzione generale e speciale alla S. Scrittura – Esegesi biblica – Teologia dogmatica e sacramentaria – Teologia morale e pastorale – Istituzioni di Diritto Canonico – Storia ecclesiastica – Lingua ebraica – Lingua greca – Archeologia ed Arte Sacra – S. Eloquenza e Patristica – S. Liturgia.

VI. — Disposizioni generali.

a) Perchè tale programma sia convenientemente eseguito, ogni Seminario abbia un Prefetto degli Studi, eletto dal Vescovo.

b) Al Prefetto spetterà, sempre sotto la dipendenza del Vescovo, la preparazione degli schemi per i Professori, la compilazione del Calendario e degli Orari scolastici.

c) Egli – sentito anche il parere de' Professori, che dovrà chiamare a consiglio ogni mese e con più frequenza se lo giudicherà necessario – adatterà al bisogno e anche modificherà i programmi vigenti, distribuirà le ore d' insegnamento de' programmi medesimi, in modo che, salva la sostanza e la preparazione adeguata agli esami di licenza, si possa dare maggior tempo a materie di più grande importanza rispetto al fine de' Seminari, come si è già osservato per il latino nel Ginnasio e per la filosofia nel Liceo.

d) L' anno scolastico durerà non meno di nove mesi.

e) Il Prefetto degli Studi, con il Consiglio de' Professori, disporrà che alla fine dell' anno si facciano regolari e severi esami di tutte le materie, per la promozione alle classi superiori, fissando il voto necessario per ottenere l' idoneità.

f) Sarà stabilita una sessione per gli esami di riparazione.

g) Le singole materie negli studi liceali e teologici saranno affidate a distinti Professori, i quali potranno, in via eccezionale, essere incaricati dell' insegnamento di qualche materia affine. Si dovrà sempre però evitare ad ogni costo l' inconveniente che una stessa persona abbia troppe ore di insegnamento, con danno evidente degli alunni.

h) Nello svolgimento della propria materia ciascun Professore adotterà un testo, che spiegherà in modo da poter esaurire dentro l' anno, proporzionatamente e per intero, il programma.

i) Per il Ginnasio ed il Liceo, dovendo seguirsi i programmi vigenti, i libri di testo saranno scelti a norma dei programmi medesimi, avuto naturalmente riguardo all' indole e allo scopo de' Seminari.

k) Per la Filosofia e la Teologia il testo sarà proposto dal Consiglio dei Professori, e sottomesso all' approvazione del Vescovo.

NOTA. – Nei Seminari centrali e interdiocesani, i diritti dell' Ordinario spettano al Collegio dei Vescovi cointeressati.

Vidimus et adprobavimus, Venerabilibus fratribus Episcopis fidelem observantiam enixe commendantes.

Die v Maii, festo S. Pii V, anno MCMVII.

PIVS PP. X

QUADRO *A.*

ESEMPIO DI ORARIO PER LA CLASSE PREPARATORIA ALLA TEOLOGIA.

1ª Ora - Tutti i giorni - *De vera religione.*

2ª Ora { Lunedì, Mercoledì, Venerdì - *Propedeutica alla Storia Ecclsiast.*
Martedì, Sabato - *Greco Biblico.*

3ª Ora { Lunedì, Mercoledì, Venerdì - *Teodicea.*
Martedì, Sabato - *Diritto Naturale.*

4ª Ora { Lunedì, Mercoledì, Venerdì - *Cosmologia.*
Martedì, Sabato - *Storia della Filosofia.*

QUADRO *B.*

ESEMPIO DI ORARIO PER LA TEOLOGIA.

LUNEDÌ.

1ª Ora - *Luoghi Teologici* - I° Anno.
» - *Teologia Morale* - II°, III° e IV° Anno.

2ª Ora - *Dogmatica* - II°, III° e IV° Anno.
» - *Morale, De Actibus Humanis, Conscientia, Legibus* - I° Anno.

3ª Ora - *Lingua Ebraica* o *Greca, Introduzione Generale alla Sacra Scrittura* - I° e II° Anno.
» - *Istituzioni Canoniche* - III° e IV° Anno.

4ª Ora - *Storia Ecclesiastica* - Tutti gli Anni.

MARTEDÌ.

1ª Ora - *Lingua Ebraica* o *Greca, Introduzione alla Sacra Srittura* - I° e II° Anno.
» - *Istituzioni Canoniche* - III° e IV° Anno.

2ª Ora - *Esegesi Biblica* - Tutti gli Anni.

3ª Ora - *Archeologia ed Arte Sacra* - Tutti gli Anni.

4ª Ora - *Storia Ecclesiastica* - Tutti gli Anni.

MERCOLEDÌ.

1ª, 2ª, 3ª Ora - Come il Lunedì.

4ª Ora - *Esegesi Biblica* - Tutti gli Anni.

VENERDÌ.

1ª, 2ª, 3ª, 4ª Ora - Come il Lunedì.

SABATO.

1ª e 2ª Ora - Come il Lunedì.

3ª Ora - *Eloquenza Sacra, Patristica* - Tutti gli Anni.

4ª Ora - *Sacra Liturgia* - Tutti gli Anni.

N. B. — Pel I° e II° Anno è segnata la lingua Ebraica o Greca, perchè il Professore, alternativamente, in un anno insegnerà l'Ebraico e l'Introduzione al Vecchio Testamento, nell'altro insegnerà il Greco e l'Introduzione al Nuovo Testamento.

QUADRO *C.*

TEOLOGIA.

CON L'ORARIO PRECEDENTE SI AVRANNO PER OGNI SETTIMANA

PEL I° ANNO.

4 Ore di *Lingua Ebraica* o *Greca* e *Introd. alla S. Scrittura.*
2 Ore di *Esegesi Biblica.*
4 Ore di *Luoghi Teologici.*
4 Ore dei *Trattati Fondamentali della Teologia Morale.*
3 Ore di *Storia Ecclesiastica.*
1 Ora di *Archeologia* e *Arte Sacra.*
1 Ora di *Eloquenza Sacra* e *Patristica.*
1 Ora di *Sacra Liturgia.*

Totale 20 Ore.

Pel II° Anno.

4 Ore di *Lingua Ebraica* o *Greca* e *Introd. alla S. Scrittura.*
4 Ore di *Morale.*
2 Ore di *Esegesi Biblica.*
4 Ore di *Dogmatica.*
3 Ore di *Storia Ecclesiastica.*
1 Ora di *Archeologia* e *Arte Sacra.*
1 Ora di *Eloquenza Sacra* e *Patristica.*
1 Ora di *Sacra Liturgia.*

Tatale 20 Ore.

Pel III° e IV° Anno.

4 Ore di *Morale* e *Pastorale.*
4 Ore di *Dogmatica.*
4 Ore di *Istituzioni Canoniche.*
3 Ore di *Storia Ecclesiastica.*
2 Ore di *Esegesi Biblica.*
1 Ora di *Archeologia* e *Arte Sacra.*
1 Ora di *Eloquenza Sacra* e *Patristica.*
1 Ora di *Sacra Liturgia.*

Totale 20 Ore.

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
IACOBO EDVARDO
ARCHIEPISCOPO CHICAGIENSI
CHICAGIAM

—

PIVS PP. X

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

De *Societate dilatandae per Foederatas Americae Civitates Ecclesiae Catholicae* libenter sane legimus, quod tu scriptum, Venerabilis Frater, qui de Consilio es Societati administrandae, nuper cum esses Romae, Nobis attulisti; quam quidem ut auctoritate constabilire Nostra et Pontificalis indulgentiae muneribus ornare vellemus, rogabas. Omnino susceptum a vobis est opus, quo nihil dignius hominibus divinae gloriae studiosis: idemque cernimus opportunitatis maximae istic esse ubi, propter summam praesertim frequentiam et varietatem immigrantium, amplificando regno Dei magnus et quotidie latior campus patet. Eo magis, quod tam actuosa, ut intelligimus, tam efficax, eaque in omnes partes pertinens Sodalitatum catholico nomini infensarum est opera: cui si constanter sapienterque non obsistatur, pro iis, quae sperari licet, laetis ecclesiae Americanae incrementis, damna non exigua, praecipue in vulgo ruricolarum, fiant. Huc,

Dei providentis beneficio, vestra spectat industria. Etenim non solum studetis Christo eos adiungere qui, sive errore sive ignoratione, vagantur ab Ipso longius; simul praecipuas quasdam curas recte adhibetis iis, quotquot de numero Catholicorum sunt, qui, destituti ministerio sacerdotum et insidiis alienorum circumventi, fide periclitantur. Admodum etiam placet qua ratione et via contenditis institutum persequi et socios adiutoresque vobis quaerere: scilicet, Episcoporum voluntati, in sua cuiusque ditione, sancte obsequendo, atque excitando in omnibus bonis eodem, quod inest in vobis, studio Apostolatus. Equidem non miramur suffragiis florere vos Venerabilium Fratrum; quorum nonnullos videmus administrationi Societatis praeesse: mirabile est, quam facile copioseque votis vestris Catholicorum favor et largitas respondeat. Itaque divino munere, sic vobis, hoc brevi spatio, res successit, ut melius feliciusque non posset; atque ab his initiis profecta quantos habitura sit progressus, non difficile coniicitur. Est igitur quod et salutarem industriam vestram efferamus laudibus, et laborum vestrorum cursu vehementer gratulemur: neque id solum; sed etiam quod velimus, uti expetitis, auctoritatem Nostram vobis suffragari, ut ipsi coeptum insistatis alacriores, et alii multo plures elaborare vobiscum animum inducant. Quare Societatem vestram his litteris confirmamus ratamque habemus; praeterea, quae infrascripta sunt, indulgendo edicimus:

I. Societatis patronus caelestis Sanctus Philippus Nerius habebitur.

II. Sodalibus attributum est singulis, ut quo die nomen Societati dederint; item diebus festis anniversariis S. Phi-

lippi Nerii, S. Francisci Salesii, S. Rosae Limanae, SS. Apostolorum; item in mortis articulo, *plenariam* de peccatis veniam apud Deum impetrent.

III. Quoties autem aliquid, Societatis causâ, bene fecerint, id benefactum eis septennis septiesque quadragenae satisfactionis instar erit.

IV. Eisdem, quoties hanc formulam pie recitaverint « Sancte Philippe, ora pro nobis », toties licebit de poenalium dierum numero trecentos expungere.

V. Indulgentiis supra dictis, sive *plenariis*, sive *partialibus*, labes poenasque defunctorum expiari liceat.

VI. Sacerdotes, qui Societatis vel moderatores vel ab actis sint, altaris privilegiati facultate fruantur ter in hebdomada: sexies autem, qui Societatis conditores aut sodales *perpetui* sint.

Atque omnia et singula quae hic a Nobis concessa sunt, firma et stabilia in perpetuum esse volumus, contrariis quibusvis non obstantibus. — Divinae autem gratiae subsidia, quamquam ita pro religione et animarum salute nitentibus deesse non possunt: tamen affluant vobis uberrima, enixe precamur. Quorum sit auspex Apostolica Benedictio, quam ipsam peculiaris Nostrae benevolentiae testem, tibi, Venerabilis Frater, ceteris vel Venerabilibus Fratribus vel dilectis Filiis qui Societatem tecum administrant, itemque omnibus qui Societatis participes fautoresque sunt atque erunt, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die VII Iunii, in festo Sacratissimi Cordis Iesu, anno MCMVII, Pontificatus Nostri quarto.

PIVS PP. X

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
ANDREAE S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI FERRARI
ARCHIEPISCOPO MEDIOLANENSI
ET VENERABILIBVS FRATRIBVS CETERIS EPISCOPIS INSVBRIVM

PIVS PP. X

DILECTE FILI NOSTER ET VENERABILES FRATRES
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Communis epistola quam vos Raudiis Campis, de more congressi ad aedem Virginis, nuper Nobis misistis, quamquam fere de iis rebus erat quae Nos maxime sollicitos et anxios habent, gratissima Nobis accidit. Id enim afferebat solatii, cuius praecipue indigemus hoc tempore: siquidem molestias curasque minuere, quas ex contumacia ac temeritate quorumdam percipimus, nihil magis potest, quam diligentia Sacrorum Antistitum, qui in tuenda vel doctrina Fidei vel disciplina Ecclesiae omnem suam Nobis operam studiumque navent. Vosque ita videmus affectos esse, quemadmodum diligentissimos decet Episcopos: commotos nempe vehementer ea Nostra denuntiatione periculi quod catholico Nomini intrinsecus conflatur: et acri vigilantia intentos ad cavendum ne quid propterea detrimenti greges vestri capiant. Nos autem pastorale studium vestrum eo complectimur liben-

tius, quia cum eximia erga Nos pietate coniunctum est. Nam quod vos ex officii conscientia facitis, id ipsum ad aegritudinem Nostram diluendam valere vultis; eamque ut magna Dei Mater per proxima sacerdotii Nostri solemnia Nobis abstergeat omnem, comprecamini. Utinam Quae insigni Ecclesiae praeconio laudatur expultrix haeresum, vestris faveat votis, Nosque tam celeriter ab his curis respirare sinat. Quod si futurum est ut eaedem sollicitudinis causae diutius insideant, Illa certe opem a Deo vobis exorabit, unde Nos, ut facitis, sanctae diligentiae vestrae fructibus recreetis. Itaque gratum de praestito pie officio significamus Nostrum vobis animum; cuius quidem testem, eamdemque divinorum auspicem munerum, vobis, dilecte Fili Noster et Venerabiles Fratres, et Clero ac populo cuique vestrum concreditis, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XII Iunii, anno MCMVII, Pontificatus Nostri quarto.

PIVS PP. X

BVLLA SEV LITTERAE APOSTOLICAE

DE RVTHENI RITVS EPISCOPO CONSTITVENDO
ET CLERI POPVLIQVE DISCIPLINA MODERANDA
IN CIVITATIBVS FOEDERATIS AMERICAE SEPTENTRIONALIS

—

PIVS EPISCOPVS
SERVVS SERVORVM DEI

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Ea semper fuit Apostolicae Sedis peculiaris quaedam ac propria sollicitudo ut varii ac diversi, quibus exornata splendet catholica Ecclesia, diligenter custodirentur Ritus, quemadmodum provisa plura et statuta a Decessoribus Nostris in venerabiles maxime liturgias Orientalium Ecclesiarum, perspicue declarant.

Iam, illud Nobis enarratur, Ruthenos catholicos, numero plurimos, ex Hungaria et Galicia in Civitates Foederatas Americae Septentrionalis migrasse, suâque ibi collocata sede, complura sibi comparasse templa, singularum dioecesum probantibus Episcopis, iisdemque, ut par est, sacra eos potestate moderantibus. Dignam sane quae maximis extollatur laudibus, eorum caritatem Praesulum arbitramur, qui summo studio miraque sollicitudine, catholicis dissimili ritu filiis praesto adhuc esse non desivere. His quidem Episcopis visum est, facilius posse Ruthenorum Ritum adservari integrum et consentaneo decore administrari; posse etiam fideles Ruthenos,

hoc tali accedente praesidio, efficacius contra pericula armari, quibus, schismaticorum civium opera, patent, si Episcopus iisdem ritus rutheni detur. Nos autem eiusmodi amplexi sententiam, rationumque, quas supra memoravimus, permoti momentis, id consilii suscepimus, Episcopum deligere ac nominare, qui, potestate opportune instructus, illud enitatur et contendat ut ritus graecus ruthenus, variis in missionibus Foederatarum Civitatum, incorrupte servetur.

Huius Episcopi munus quo aptius cum ordinaria iurisdictione Episcoporum cohaereat qui iis praesunt dioecesibus ubi Ruthenorum sodalitates sitae sunt, quaedam Nos, de sententia Venerabilium Fratrum Nostrorum sacri Consilii Christiano Nomini Propagando negotiisque Orientalis Ritus cognoscendis, statuenda, pro rei gravitate, censuimus; id certo rati, horum adiumento praescriptorum, nihil assequendis commodis obstiturum, animorumque concordiae, quae debet viros e sacro ordine populosque utriusque Ritus coniungere, iri consultum.

Capvt I.

DE EPISCOPO RVTHENI RITVS.

Art. I. Nominatio Episcopi rutheni ritus pro Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis, Apostolicae Sedi est omnino reservata.

Art. II. Episcopus rutheni ritus sub immediata huius Apostolicae Sedis iurisdictione ac potestate est, ac sub vigilantia Delegati Apostolici Washingtoniensis. Iurisdictionem autem Ordinariam nullam habet, sed tantummodo sibi delegandam a singulis Ordinariis in quorum dioecesi Rutheni

commorantur. Eius officium est circa ritus rutheni integritatem vigilare, sacra olea pro Ruthenis conficere, ecclesias rutheni ritus dedicare, Confirmationem Ruthenis ministrare, Pontificalia in ecclesiis Ruthenorum peragere, et, praehabitis in singulis casibus litteris dimissoriis Ordinarii loci, clericos rutheni ritus ordinare.

Art. III. Salvo iure et officio Ordinarii loci, Episcopus rutheni ritus visitationem missionum ruthenarum inire poterit, praehabita in scriptis licentia eiusdem Ordinarii, qui illi conferet facultates quas concedendas iudicaverit.

Art. IV. Episcopus rutheni ritus in visitatione rationes ab unoquoque rectore missionis exposcet administrationis bonorum missionis eiusdem, curabitque ne rector nomine ac iure proprio ea retineat pro quorum acquisitione fideles quovis modo subsidia contulerint; simul autem operam dabit, ut iuxta leges sive dioecesanas, sive constitutas in III plenario Concilio Baltimorensi, ea bona vel quamprimum transferantur sub nomine Ordinarii loci, vel alio tuto ac legali modo, ab eodem Ordinario approbando, firmiter adscripta sint et maneant favore missionis.

Art. V. Peracta visitatione. Episcopus rutheni ritus certiorem faciet de statu morali et de oeconomica administratione missionis visitatae Ordinarium loci, qui opportune decernet quae ad bonum missionis in Domino expedire censuerit.

Art. VI. Controversiae, si quae exoriantur inter Episcopum rutheni ritus et Episcopos dioecesanos, deferantur, in devolutivo tantum, ad Delegatum Apostolicum Washingtoniensem, salva, item in devolutivo, appellatione ad Apostolicam Sedem.

Art. VII. Donec aliter ab Apostolica Sede decernatur, ordinaria residentia Episcopi ritus rutheni erit in urbe Philadelphia.

Art. VIII. Ad constituendam annuam stipem pro sustentatione Episcopi ritus rutheni concurrere debent singulae ruthenae communitates, eidem solvendo annuam praestationem instar cathedratici, iuxta praxim et normas vigentes in dioecesibus Civitatum Foederatarum, in quibus missiones ruthenae constabilitae inveniuntur.

Art. IX. Episcopus rutheni ritus tertio quoque anno plenam et accuratam relationem de statu personali, morali ac materiali missionum proprii ritus exhibeat Delegato Apostolico Washingtoniensi, qui eam transmittet ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide pro Negotiis Ritus Orientalis.

Capvt II.

DE CLERO RVTHENO.

Art. X. Cum nondum habeantur sacerdotes rutheni, qui vel nati vel saltem educati sint in Civitatibus Foederatis Americae; Episcopus rutheni ritus, praevia intelligentia cum Delegato Apostolico et Ordinario loci, omni studio curet, ut seminarium pro clericis ruthenis in iisdem Civitatibus Foederatis educandis quantocius instituatur. Interim vero clerici rutheni in seminaria latina locorum in quibus nati sunt, vel domicilium acquisiverunt, admittantur. Sed nonnisi caelibes, sive nunc sive in posterum, ad sacros Ordines promoveri poterunt.

Art. XI. Antequam habeatur numerus sufficiens presby-

terorum ruthenorum, qui in Civitatibus Foederatis Americae educati fuerint, si providenda occurrat de suo rectore aliqua missio Ruthenorum vel vacans vel noviter erecta, Ordinarius loci, audito, si ita existimaverit, Episcopo rutheni ritus, idoneum sacerdotem ruthenum illic iam morantem ipsi praeficiat. Si nullus idoneus in dioecesi habeatur, ipsum postulet ab alio Episcopo Civitatum Foederatarum. Si vero nullum inibi inveniat, de re certiorem reddat Sacram Congregationem de Propaganda Fide pro Negotiis Ritus Orientalis, cui curae erit providere.

Art. XII. Sacerdos eligendus sit caelebs, vel saltem viduus et absque liberis, integer vitae, zelo ac pietate praeditus, satis eruditus, lucri non cupidus, et a politicis factionibus alienus.

Art. XIII. Sacerdoti ex Europa vocato praedicta Sacra Congregatio tradet documentum, quo ipsi concedatur facultas se conferendi in Civitates Foederatas Americae ad assumendam spiritualem curam alicuius determinatae missionis ruthenae.

Art. XIV. Presbyteris ruthenis in America commorantibus penitus interdicitur ne baptizatos Sacro Chrismate consignent; et si secus fecerint, sciant se invalide egisse.

Art. XV. Quilibet ruthenus sacerdos ex Europa proveniens et in Civitatibus Foederatis Americae commorans pro fidelium rutheni ritus spirituali cura, semper manebit incardinatus dioecesi originis; attamen Episcopus ruthenus originis iurisdictionem suam in eum nullimode exercebit quoadusque ipse in Civitatibus Foederatis commorabitur. In patriam autem supra dicti sacerdotes redire nequeant absque expressa licentia

Ordinarii Americani, in scriptis concedenda, in cuius dioecesi sacrum ministerium exercent. Quod si de una in aliam dioecesim Civitatum Foederatarum se conferre cupiant, requiritur consensus Episcopi *a quo* et *ad quem*, opportune facto certiore Episcopo rutheni ritus.

Art. XVI. Laici rutheni candidati ad Ordines, cuiuscumque originis et domicilii fuerint, illi dioecesi incardinati censeantur, a cuius Ordinario acceptati fuerint, et pro qua emiserint iuramentum missionis seu stabilitatis ad inserviendum in dicta dioecesi. Ab ea autem dioecesi in qua incardinati sunt, in aliam transire nequeant, nisi praehabito consensu Ordinarii *a quo* et *ad quem*, ac opportune reddito certiore Episcopo rutheni ritus.

Art. XVII. Omnes rectores missionum ruthenarum Civitatum Foederatarum sunt amovibiles ad nutum Ordinarii loci, opportune effecto certiore Episcopo rutheni ritus. Amoveri autem non poterunt absque causis gravibus et iustis.

Art. XVIII. Datur tamen facultas presbytero amoto appellationem interponendi, in devolutivo, contra Decretum remotionis ad tribunal Delegati Apostolici Washingtoniensis, qui intra tres menses a die appellationis causam definire curabit, salvo semper iure recursus ad S. Sedem, item in devolutivo.

Art. XIX. Sustentationi sacerdotis providebit communitas ruthena, iuxta praxim et normas dioeceseos in cuius finibus communitas invenitur.

Art. XX. Iura stolae et emolumenta sacri ministerii in singulis missionibus determinanda sunt ab Ordinario loci iuxta consuetudines locales, audito Episcopo rutheni ritus.

Capvt III.

DE FIDELIBVS RVTHENIS.

Art. XXI. Fideles rutheni iis in locis in quibus nulla ecclesia nec sacerdos ritus eorum habeatur, ritui latino sese conformabunt; eisque eiusmodi facultas conceditur etiam ubi propter longinquitatem ecclesiae suae non eam possint nisi cum gravi incommodo adire: quin tamen ex hoc ritus mutatio inducatur.

Art. XXII. Laici rutheni, qui verum et stabile domicilium in Civitatibus Foederatis constituerint, transire possunt ad ritum latinum, obtenta tamen prius, in singulis casibus, venia Apostolicae Sedis.

Art. XXIII. Si contingat ut hi quandoque in patriam revertantur, tunc etsi ex Pontificio rescripto ritum latinum susceperint, licebit eis, Apostolica Sede exorata, ad pristinum ritum redire.

Art. XXIV. Non licet Missionariis latinis, sub poenis ab Apostolica Sede decernendis, quempiam Ruthenum ad latinum ritum amplectendum inducere.

Art. XXV. Fideles rutheni, etiam in locis in quibus adest presbyter rutheni ritus, apud sacerdotem latinum ab Ordinario loci approbatum peccata sua confiteri, et beneficium sacramentalis absolutionis valide et licite obtinere possunt.

Sciant autem sacerdotes rutheni ritus, censuras et reservationes casuum in dioecesi, in qua ministerium exercent, sive vigentes sive ferendas, clerum etiam et populum eiusdem rutheni ritus afficere.

Art. XXVI. Ad vitanda gravia incommoda quae inde Ruthenis evenire possent, facultas eis fit dies festos et ieiunia observandi iuxta consuetudinem locorum in quibus degunt. Attamen diebus dominicis, et festis in utroque ritu in eamdem diem incidentibus, Sacrae Liturgiae in ecclesia sui ritus, si in loco exsistat, Rutheni interesse tenentur.

Capvt IV.

DE MATRIMONIIS INTER FIDELES MIXTI RITVS.

Art. XXVII. Matrimonia inter Catholicos ruthenos et latinos non prohibentur; sed maritus latinus uxoris ruthenae ritum non sequatur, nec uxor latina ritum mariti rutheni.

Art. XXVIII. Si vero vir latinus in uxorem duxerit mulierem ruthenam, integrum erit mulieri ad ritum latinum, sive in actu matrimonii, sive postea, durante matrimonio, transire, quin electionem semel factam, vivente viro, revocare possit.

Art. XXIX. Soluto matrimonio, mulieri ruthenae quae ritum mariti amplexa fuerat, resumendi proprii ritus libera erit potestas.

Art. XXX. Uxori ruthenae quae maluerit in proprio ritu permanere, licebit tamen in ieiuniis et festis suum maritum sequi.

Art. XXXI. Vir ruthenus potest, si velit, ritum uxoris latinae sequi, eique pariter licebit in ieiuniis et festis ritui uxoris latinae sese conformare. Soluto matrimonio, poterit in ritu latino permanere, vel ritum ruthenum resumere.

Art. XXXII. Matrimonium inter virum latinum et ruthenam mulierem latine coram parocho latino contrahatur; inter

virum vero ruthenum et mulierem latinam contrahi potest vel ruthene coram paroco rutheno, vel latine coram parocho uxoris.

Art. XXXIII. Si uterque contrahens in suo ritu permaneat, competit presbyteris respectivi ritus officium parochi erga illos exercere in rebus quae hic recensentur, nempe: in communionis paschalis, viatici et extremae unctionis administratione. in adsistentia in mortis articulo, in exsequiis persolvendis atque in humatione; excepto necessitatis casu.

Art. XXXIV. Nati in Civitatibus Foederatis Americae ex patre latino et matre ruthena, latino ritu sunt baptizandi; proles enim sequi omnino debet patris ritum, si sit latinus.

Art. XXXV. Si vero pater sit ruthenus et mater latina, liberum erit eidem patri, quod proles vel ritu rutheno baptizetur, vel etiam ritu latino, si in gratiam uxoris latinae ipse consenserit.

Art. XXXVI. Infantes ad eius parochi iurisdictionem pertinent cuius ritu sunt legitime baptizati, cum per Baptismum fiat suscepti ritus latini vel rutheni professio, ita ut ad latinum ritum spectent qui latino ritu baptizati sunt; qui vero ritu rutheno sunt baptizati, in Ruthenorum numero sint habendi.

Excipitur casus quando iis Baptismus alieno ritu collatus fuerit ob gravem necessitatem, cum nimirum morti proximi fuerint, vel in loco, in quo parentes tempore nativitatis morabantur, parochus proprii ritus non adesset; tunc enim ad parochum ritus quem parentes profitentur, pertinebunt, iuxta superius statuta.

In caritate Christi, qua fideles omnium rituum peramanter complectimur, haec statuenda censuimus pro spirituali bono animarumque salute fidelium ruthenorum in Foederatis Civitatibus Americae Septentrionalis commorantium; ac minime dubitamus quin ipsi Nostram hanc et Apostolicae Sedis erga eos sollicitudinem perfecta obedientia, imo et grato animo excipiant.

Praesentes Litteras et in eis contenta et statuta quaecumque, nulla unquam, licet privilegiata, ex caussa, colore et capite, nulloque unquam tempore de aliquo nullitatis vitio seu defectu inexcogitato et substantiali notari, impugnari aut in controversiam et iudicium vocari posse; sed tanquam ex Pontificiae Providentiae officio et Motu proprio, certa scientia, matura deliberatione, deque Nostrae Apostolicae Potestatis plenitudine editas, omnimoda firmitate perpetuo validas et efficaces exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque ab omnibus, ad quos spectat et spectabit, inviolabiliter observari volumus et decernimus, sublata cuicumque, etiam Cardinalitia dignitate fulgenti, quavis aliter statuendi et interpretandi facultate: irritum quoque et inane decernentes quidquid in contrarium scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Quocirca Venerabilem Fratrem Diomedem, Archiepiscopum titularem Larissensem, Nostrumque apud Episcopos Civitatum Foederatarum Americae Septentrionalis Delegatum, exsecutorem praesentium Apostolica auctoritate constituimus, ut ipse per se vel per alium virum ecclesiastica dignitate insignitum, ab eo subdelegandum, praesentes Nostras Lit-

teras sollemniter publicet, ac omnia et singula in eis contenta a cunctis observanda curet. Eidem vero praecipimus ut singulorum actorum in praesentium evulgatione et exsecutione exemplar authenticum intra sex menses ad hanc Apostolicam Sedem transmittat, illudque in Archivo S. Congregationis de Propaganda Fide pro negotiis Orientalis Ritus adservari mandamus. — Non obstantibus Decessorum Nostrorum Constitutionibus et Ordinationibus, etiam in generalibus et provincialibus Conciliis editis, et quarumcumque Ecclesiarum, etiam Patriarchalium, seu Ordinum et Congregationum, iuramento et confirmatione Apostolica vel quavis alia firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, aliisque quibuslibet, etiam Motu proprio, in contrarium praemissorum concessis, licet expressa mentione dignis; quibus omnibus, perinde ac si de verbo ad verbum his litteris inserta essent, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus et derogatum esse volumus, ceterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

Harum vero transumptis etiam impressis, manu tamen alicuius Notarii publici subscriptis ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eamdem ubique fidem haberi volumus, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae constitutionis, decreti, mandati, voluntatis, exemptionis, derogationis, indulti, infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli, Apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae millesimo nongentesimo septimo, decimo octavo Kalendas Iulias, die festo S. Basilii Magni, Pontificatus Nostri anno quarto.

A. Card. DI PIETRO Pro-Dat. — R. Card. MERRY DEL VAL

VISA

De Cvria I. De Aqvila e Vicecomitibvs

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Secret. Brevium

V. Cvgnonivs.

DECRETVM

S. CONGREGATIONIS CONSISTORIALIS

QVO TEMPLVM BEATAE MARIAE VIRGINIS

SVB TITVLO « SALVS INFIRMORVM »

IN CIVITATE PATZCVARO ARCHIDIOECESIS MECHOACANENSIS

IN MEXICANA REPVBLICA

DICATVM

IN COLLEGIATAM ERIGITVR

—

Inter ecclesias quae in Mexicana regione haud multo postquam regio haec ab Hispano Duce Ferdinando Cortez detecta est, Cathedralis titulo et dignitate, sub Pontifice Paulo PP. III, instante Carolo V Romanorum Imperatore auctae sunt, ea quoque est accensenda, quae B. Mariae Virgini sub titulo « *Salus Infirmorum* » in civitate Patzcuaro nuncupata, intra fines Mechoacanensis Archidioecesis sacra etiam in praesens exsistit. Templum hoc a Vasco de Quiroga viro sanctitatis laude non minus quam rebus in patriae bonum optime gestis clarissimo, qui primus christianam fidem hasce in regiones invexit, atque primus Mechoacanensis totius regionis Praesul electus fuit, erectum fertur, atque B. Mariae Virginis simulacrum, quod in eo colitur, illud idem esse traditur, quod Sanctus Praesul Mexicanis venerandum obtulit, cum primum eos christianis praeceptis imbuendos suscepit. Haec itaque B. Mariae Virginis imago, cum sit vetustissima, magna apud omnes fruitur veneratione, ad eamque fideles

ut pientissimae Matris opem implorent, undique ex dissitis quoque regionibus convolant. Tot vero sunt beneficia, quae Virginis ope ad Sacram hanc imaginem implorata a Deo accepta referuntur, ut Leo PP. XIII paucis abhinc annis Sacram eamdem effigiem aurea corona suo nomine et auctoritate donari concesserit. Patzcuarense autem templum honori B. M. V. sub titulo « *Salus Infirmorum* » dicatum, etsi a primaeva dignitate aliquantulum exciderit, Episcopalis namque Sedes ibi primitus constituta a civitate Patzcuaro ad urbem Mechoacan anno MDXXXVI translata fuit, amplitudine tamen, molis structura atque ornatus magnificentia satis praestat. Ipsum praeterea cum vetustate fatisceret, reparatum nuper fuit, et ad pristinum decus restitutum. Redditibus demum instructum adeo est, ut quotannis pro eius tuitione aliisque expensis tria scutatorum millia insumi possint.

Cum igitur Clerus et populus Patzcuarensis ipsius civitatis, hisce aliisque commemoratis, apud R. P. D. Athenogenem Silva, Mechoacanensis Archidioecesis Archiepiscopum, institerint, ut templum a Beata Maria Virgine sub titulo « *Salus Infirmorum* » nuncupatum, cui cura eiusdem urbis pertinet, ad Collegiatae ecclesiae honorem et dignitatem eveheretur, idem Archiepiscopus litteris ad Apostolicam Sedem die I Martii hoc anno datis, SSm̃um D. N. Pium PP. X humiliter exoravit, ut Patzcuarensium fidelium vota benigne excipere vellet.

Sanctitas Sua, me referente infrascripto Sacrae Congregationis consistorialibus rebus expediendis praepositae Substituto, omnibus mature perpensis, attentis expositis, attenta Mechoacanensis Archiepiscopi commendatione, oblatis precibus adnuendum censuit.

Quod igitur bonum, faustum felixque sit, Dei gloriae Religionisque incremento benevertat, atque Patzcuarensium fidelium cultus erga B. Mariam Virginem sub titulo « *Salus Infirmorum* » magis ac magis foveatur, Beatitudo Sua templum in civitate Patzcuaro eidem sacrum, suppleto, quatenus opus sit, quorumcumque in hac re interesse habentium vel habere praesumentium consensu, ad Collegiatae ecclesiae honorem et dignitatem evehere decrevit in eum qui sequitur modum:

I.

Primum itaque Beatitudo Sua omnes et singulos quibus praesens Decretum favet, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis poenis a iure vel ab homine quovis modo vel quavis de causa latis, si quibus innodati quomodolibet exsistant, ad effectum tantum eorum quae hoc decreto statuuntur, absolvens et absolutos fore censens, exstincto prius atque suppresso collativo titulo paroccialis ecclesiae honori Beatae Mariae Virginis sub invocatione « *Salus Infirmorum* » in civitate Patzcuaro, intra fines Mechoacanensis archidioecesis, dicatae, alteriusve cuiusvis beneficii, si quod in ipsa erectum in praesens inveniatur, ecclesiam eamdem, parochialem uti antea exstituram, ad Collegiatae ecclesiae honorem et dignitatem sub eodem titulo Beatae Mariae Virginis Salutis Infirmorum, cum Capitulo, stallo, choro, mensa capitulari, sigillo aliisque signis, privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, praeeminentiis, concessionibus et gratiis, quibus ceterae Collegiatae Ecclesiae in Mexicana Republica exsistentes, iure, usu et consuetudine

fruuntur et gaudent, iis tamen exceptis privilegiis quae ex particulari indulto aut oneroso titulo sint acquisita, Apostolica auctoritate evehit atque extollit, eidemque redditus omnes et bona in dotem constituit, quibus actu ipsa potitur, aliaque omnia quae pia fidelium liberalitas in hunc finem in posterum conferet.

II.

In eadem parochiali ecclesia ad Collegiatae honorem ut supra evecta, Sanctitas Sua unam abbatialem praebendam cum animarum cura, per concursum, secundum sacrosanctae Tridentinae Synodi Decreta, conferendam, quae prima et unica erit Capituli dignitas, ita ut qui eam obtineat, tam in Choro et Capitulo quam in publicis supplicationibus aliisque sacris functionibus, praesit et praeeminentiam habeat, nullo tamen praeter titulum, abbatiali alio insigni aut privilegio gaudeat, nullaque fruatur iurisdictione; itemque quatuor alias canonicales praebendas, duas presbyterales, diaconalem unam et unam subdiaconalem constituit et erexit.

III.

Animarum proinde curam in civitate Patzcuaro in posterum Abbas geret, qui et singulis diebus festis de praecepto, etiam reductis, Sacrum pro populo faciet, et onera omnia suo muneri propria explebit.

IV.

Collegiatae ecclesiae Abbati et quatuor canonicis Sanctitas Sua onus imponit apud Collegiatam personaliter resi-

dendi, horas canonicas tam nocturnas quam diurnas quotidie recitandi, itemque celebrandi alternatim Missam conventualem pro benefactoribus; quibus vero diebus Missa haec erit solemniter celebranda, Exsecutor decreti huius, infra designandus, statuet.

V.

Capitularium deinde congruae sustentationi onerumque ipsis incumbentium implemento eadem Sanctitas Sua prospicere volens, decrevit ut Abbati ex ecclesiae bonis sexdecim scutatorum mexicanorum millia in praebendam constituantur, canonicatibus presbyteralibus duodecim millia, reliquis decem millia. Abbas proinde, praeter redditus et emolumenta quae eidem uti parocho obvenient, mexicana scutata nongenta et sexaginta annuatim percipiet, Canonici qui presbyterales obtinebunt praebendas, septingenta et viginti, qui vero diaconalem et subdiaconalem sexcenta, tertia tamen horum reddituum parte pro distributionibus quotidianis, secundum sacrosanctae Tridentinae Synodi decreta, adsignata.

VI.

Item, cum necesse omnino sit ut sacrarum aedium conservationi consulatur, id etiam Beatitudo Sua praecepit, ut ex ecclesiae redditibus tria scutatorum mexicanorum millia quotannis detrahantur hunc in finem, si opus fuerit, impendenda. Ex hisce tamen, nisi aliter iam provisum fuerit, certa quaedam pars, ab Exsecutore huius decreti statuenda, ecclesiae sacrario pro cultus expensis erit tribuenda.

VII.

Collegiali autem Capitulo ita erecto Sanctitas Sua facultatem fecit, statuta et decreta condendi atque edendi, sacris tamen canonibus, decretis praesertim Tridentini Concilii, consona, quae eiusdem Collegiatae ecclesiae regimen, bonorumque eidem pertinentium administrationem, itemque onerum implementum et Chori disciplinam, poenarumque a negligentibus vel absentibus contrahendarum impositionem respiciant, eaque condita atque edita corrigendi et declarandi, praevia tamen Archiepiscopi Mechoacanensis pro tempore exsistentis adprobatione.

VIII.

Ad divini vero cultus splendorem et Collegialis Capituli decorem augendum, Sanctitas Sua Abbati et Canonicis benigne indulsit, ut ipsi in sacris functionibus et publicis supplicationibus, intra limites tamen Mechoacanensis archidioecesis, vestem talarem nigram oris et globulis ceruleis ornatam, zonam item ceruleam et penulam (mozzetta) sericam super rochettum pariter ceruleam, nec non flocculum eiusdem coloris in pileo et bireto, servatis de iure servandis, rituali bus praesertim dispositionibus, licite ac valide gestare possint et valeant, eodem modo, eademque prorsus ratione, qua Canonicis Collegiatae Ecclesiae de Ocotlan in Angelopolitana archidioecesi nuper ab Apostolica Sede concessum fuit.

IX.

Ne vero ex decreta hac paroecialis Ecclesiae a Beata Virgine sub titulo « *Salus Infirmorum* » nuncupatae in Collegiatam erectione damnum ullum cuique obveniat, SSmus

Dñus noster R. D. Raphaëlem Nambo, eius actu parochum, in Abbatem Collegiatae et paroecialis ipsius Ecclesiae, absque novo concursu et litterarum Apostolicarum expeditione, cum mandato tamen Fidei professionem emittendi et iuramentum fidelitatis praestandi, constituendum decrevit; reliquos vero Canonicatus, ut supra erectos, ipsamque abbatialem praebendam et dignitatem, cum vacaverit, in posterum, servatis canonicis constitutionibus ac sartis tectisque Cancellariae Apostolicae legibus conferri mandavit.

X.

Ad praemissa vero exsequenda, Sanctitas Sua deputari voluit R. P. D. Athenogenem Silva, Metropolitanae Mechoacanensis Ecclesiae Archiepiscopum, cum facultatibus necessariis et opportunis etiam subdelegandi in eumdem finem quamcumque aliam personam in ecclesiastica dignitate constitutam, itemque definitive pronunciandi super qualibet oppositione in exsecutionis actu quomodolibet oritura, iniuncta eidem obligatione, intra sex menses ad sacram hanc Congregationem transmittendi exemplar, authentica forma exaratum, exsecutionis peractae, et praesens hisce de rebus edi mandavit Consistoriale Decretum, perinde valiturum ac si Litterae Apostolicae sub plumbo vel sub anulo Piscatoris super iisdem expeditae fuissent, et inter acta referri sacrae huius Congregationis Consistorialis.

Datum Romae, hac die xxix Iunii, anno Domini MCMVII.

Pro R. P. D. Secretario
Ivlivs Grazioli
S. C. Consistorialis et S. Collegii *Substitutus*.

DECRETVM

SACRAE ROMANAE ET VNIVERSALIS INQVISITIONIS

QVO PLVRES ERRONEAE PROPOSITIONES DAMNANTVR

Feria IV, die 3 Iulii 1907.

Lamentabili sane exitu aetas nostra freni impatiens in rerum summis rationibus indagandis ita nova non raro sequitur ut, dimissa humani generis quasi hereditate, in errores incidat gravissimos. Qui errores longe erunt perniciosiores, si de disciplinis agitur sacris, si de Sacra Scriptura interpretanda, si de Fidei praecipuis mysteriis. Dolendum autem vehementer inveniri etiam inter Catholicos non ita paucos scriptores qui, praetergressi fines a Patribus ac ab ipsa Sancta Ecclesia statutos, altioris intelligentiae specie et historicae considerationis nomine, eum dogmatum progressum quaerunt qui, reipsa, eorum corruptela est.

Ne vero huius generis errores. qui quotidie inter fideles sparguntur, in eorum animis radices figant ac fidei sinceritatem corrumpant, placuit SSmo D. N. Pio divina providentia PP. X ut per hoc Sacrae Romanae et Universalis Inquisitionis Officium ii qui inter eos praecipui essent, notarentur et reprobarentur.

Quare, instituto diligentissimo examine, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, Emi ac Rmi Dni Cardinales, in rebus fidei et morum Inquisitores Generales, propositiones

quae sequuntur reprobandas ac proscribendas esse iudicarunt, prouti hoc generali Decreto reprobantur ac proscribuntur:

1. Ecclesiastica lex quae praescribit subiicere praeviae censurae libros Divinas respicientes Scripturas. ad cultores critices aut exegeseos scientificae librorum Veteris et Novi Testamenti non extenditur.

2. Ecclesiae interpretatio Sacrorum Librorum non est quidem spernenda, subiacet tamen accuratiori exegetarum iudicio et correctioni.

3. Ex iudiciis et censuris ecclesiasticis contra liberam et cultiorem exegesim latis colligi potest fidem ab Ecclesia propositam contradicere historiae, et dogmata catholica cum verioribus christianae religionis originibus componi reipsa non posse.

4. Magisterium Ecclesiae ne per dogmaticas quidem definitiones genuinum Sacrarum Scripturarum sensum determinare potest.

5. Quum in deposito fidei veritates tantum revelatae contineantur, nullo sub respectu ad Ecclesiam pertinet iudicium ferre de assertionibus disciplinarum humanarum.

6. In definiendis veritatibus ita collaborant discens et docens Ecclesia, ut docenti Ecclesiae nihil supersit, nisi communes discentis opinationes sancire.

7. Ecclesia, cum proscribit errores, nequit a fidelibus exigere ullum internum assensum, quo iudicia a se edita complectantur.

8. Ab omni culpa immunes existimandi sunt qui reprobationes a Sacra Congregatione Indicis aliisve Sacris Romanis Congregationibus latas nihili pendunt.

9. Nimiam simplicitatem aut ignorantiam prae se ferunt qui Deum credunt vere esse Scripturae Sacrae auctorem.

10. Inspiratio librorum Veteris Testamenti in eo constitit quod scriptores israëlitae religiosas doctrinas sub peculiari quodam aspectu, gentibus parum noto aut ignoto, tradiderunt.

11. Inspiratio divina non ita ad totam Scripturam Sacram extenditur, ut omnes et singulas eius partes ab omni errore praemuniat.

12. Exegeta, si velit utiliter studiis biblicis incumbere, in primis quamlibet praeconceptam opinionem de supernaturali origine Scripturae Sacrae seponere debet, eamque non aliter interpretari quam cetera documenta mere humana.

13. Parabolas evangelicas ipsimet Evangelistae ac christiani secundae et tertiae generationis artificiose digesserunt, atque ita rationem dederunt exigui fructus praedicationis Christi apud Iudaeos.

14. In pluribus narrationibus non tam quae vera sunt Evangelistae retulerunt, quam quae lectoribus, etsi falsa, censuerunt magis proficua.

15. Evangelia usque ad definitum constitutumque canonem continuis additionibus et correctionibus aucta fuerunt; in ipsis proinde doctrinae Christi non remansit nisi tenue et incertum vestigium.

16. Narrationes Ioannis non sunt proprie historia, sed mystica Evangelii contemplatio; sermones, in eius evangelio contenti, sunt meditationes theologicae circa mysterium salutis historica veritate destitutae.

17. Quartum evangelium miracula exaggeravit non tan-

tum ut extraordinaria magis apparerent, sed etiam ut aptiora fierent ad significandum opus et gloriam Verbi Incarnati.

18. Ioannes sibi vindicat quidem rationem testis de Christo; re tamen vera non est nisi eximius testis vitae christianae, seu vitae Christi in Ecclesia, exeunte primo saeculo.

19. Heterodoxi exegetae fidelius expresserunt sensum verum Scripturarum quam exegetae catholici.

20. Revelatio nihil aliud esse potuit quam acquisita ab homine suae ad Deum relationis conscientia.

21. Revelatio, obiectum fidei catholicae constituens, non fuit cum Apostolis completa.

22. Dogmata quae Ecclesia perhibet tamquam revelata, non sunt veritates e caelo delapsae, sed sunt interpretatio quaedam factorum religiosorum quam humana mens laborioso conatu sibi comparavit.

23. Exsistere potest et reipsa exsistit oppositio inter facta quae in Sacra Scriptura narrantur eisque innixa Ecclesiae dogmata; ita ut criticus tamquam falsa reiicere possit facta quae Ecclesia tamquam certissima credit.

24. Reprobandus non est exegeta qui praemissas adstruit, ex quibus sequitur dogmata historice falsa aut dubia esse, dummodo dogmata ipsa directe non neget.

25. Assensus fidei ultimo innititur in congerie probabilitatum.

26. Dogmata fidei retinenda sunt tantummodo iuxta sensum practicum, idest tanquam norma praeceptiva agendi, non vero tamquam norma credendi.

27. Divinitas Iesu Christi ex Evangeliis non probatur;

sed est dogma quod conscientia christiana e notione Messiae deduxit.

28. Iesus, quum ministerium suum exercebat, non in eum finem loquebatur ut doceret se esse Messiam, neque eius miracula eo spectabant ut id demonstraret.

29. Concedere licet Christum quem exhibet historia, multo inferiorem esse Christo qui est obiectum Fidei.

30. In omnibus textibus evangelicis nomen *Filius Dei* aequivalet tantum nomini *Messias*, minime vero significat Christum esse verum et naturalem Dei Filium.

31. Doctrina de Christo quam tradunt Paulus, Ioannes et Concilia Nicaenum, Ephesinum, Chalcedonense, non est ea quam Iesus docuit, sed quam de Iesu concepit conscientia christiana.

32. Conciliari nequit sensus naturalis textuum evangelicorum cum eo quod nostri theologi docent de conscientia et scientia infallibili Iesu Christi.

33. Evidens est cuique qui praeconceptis non ducitur opinionibus, Iesum aut errorem de proximo messianico adventu fuisse professum, aut maiorem partem ipsius doctrinae in evangeliis synopticis contentae authenticitate carere.

34. Criticus nequit asserere Christo scientiam nullo circumscriptam limite, nisi facta hypothesi, quae historice haud concipi potest quaeque sensui morali repugnat, nempe Christum uti hominem habuisse scientiam Dei et nihilominus noluisse notitiam tot rerum communicare cum discipulis ac posteritate.

35. Christus non semper habuit conscientiam suae dignitatis messianicae.

36. Resurrectio Salvatoris non est proprie factum ordinis historici, sed factum ordinis mere supernaturalis, nec demonstratum nec demonstrabile, quod conscientia christiana sensim ex aliis derivavit.

37. Fides in resurrectionem Christi ab initio fuit non tam de facto ipso resurrectionis, quam de vita Christi immortali apud Deum.

38. Doctrina de morte piaculari Christi non est evangelica, sed tantum paulina.

39. Opiniones de origine sacramentorum, quibus Patres Tridentini imbuti erant quaeque in eorum canones dogmaticos procul dubio influxum habuerunt, longe distant ab iis quae nunc penes historicos rei christianae indagatores merito obtinent.

40. Sacramenta ortum habuerunt ex eo quod Apostoli eorumque successores ideam aliquam et intentionem Christi, suadentibus et moventibus circumstantiis et eventibus, interpretati sunt.

41. Sacramenta eo tantum spectant ut in mentem hominis revocent praesentiam Creatoris semper beneficam.

42. Communitas christiana necessitatem baptismi induxit, adoptans illum tamquam ritum necessarium, eique professionis christianae obligationes adnectens.

43. Usus conferendi baptismum infantibus evolutio fuit disciplinaris, quae una ex causis exstitit ut sacramentum resolveretur in duo, in baptismum scilicet et poenitentiam.

44. Nihil probat ritum sacramenti confirmationis usurpatum fuisse ab Apostolis: formalis autem distinctio duorum sacramentorum, baptismi scilicet et confirmationis, haud spectat ad historiam christianismi primitivi.

45. Non omnia, quae narrat Paulus de institutione Eucharistiae (I. Cor. xi, 23-25), historice sunt sumenda.

46. Non adfuit in primitiva Ecclesia conceptus de christiano peccatore auctoritate Ecclesiae reconciliato; sed Ecclesia nonnisi admodum lente huiusmodi conceptui assuevit. Imo etiam postquam poenitentia tanquam Ecclesiae institutio agnita fuit, non appellabatur sacramenti nomine, eo quod haberetur uti sacramentum probrosum.

47. Verba Domini: *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt* (Io. xx, 22 et 23) minime referuntur ad sacramentum poenitentiae, quidquid Patribus Tridentinis asserere placuit.

48. Iacobus in sua epistola (vv. 14 et 15) non intendit promulgare aliquod sacramentum Christi, sed commendare pium aliquem morem, et si in hoc more forte cernit medium aliquod gratiae, id non accipit eo rigore, quo acceperunt theologi qui notionem et numerum sacramentorum statuerunt.

49. Coena christiana paullatim indolem actionis liturgicae assumente, hi, qui Coenae praeesse consueverant, characterem sacerdotalem acquisiverunt.

50. Seniores qui in christianorum coetibus invigilandi munere fungebantur, instituti sunt ab Apostolis presbyteri aut episcopi ad providendum necessariae crescentium communitatum ordinationi, non proprie ad perpetuandam missionem et potestatem apostolicam.

51. Matrimoninm non potuit evadere sacramentum novae legis nisi serius in Ecclesia; siquidem ut matrimonium pro sacramento haberetur necesse erat ut praecederet plena doctrinae de gratia et sacramentis theologica explicatio.

52. Alienum fuit a mente Christi Ecclesiam constituere veluti societatem super terram per longam saeculorum seriem duraturam; quin imo in mente Christi regnum coeli una cum fine mundi iamiam adventurum erat.

53. Constitutio organica Ecclesiae non est immutabilis; sed societas christiana perpetuae evolutioni aeque ac societas humana est obnoxia.

54. Dogmata, sacramenta, hierarchia, tum quod ad notionem tum quod ad realitatem attinet, non sunt nisi intelligentiae christianae interpretationes evolutionesque, quae exiguum germen in Evangelio latens externis incrementis auxerunt perfeceruntque.

55. Simon Petrus ne suspicatus quidem unquam est sibi a Christo demandatum esse primatum in Ecclesia.

56. Ecclesia Romana non ex divinae providentiae ordinatione, sed ex mere politicis conditionibus caput omnium Ecclesiarum effecta est.

57. Ecclesia sese praebet scientiarum naturalium et theologicarum progressibus infensam.

58. Veritas non est immutabilis plusquam ipse homo, quippe quae cum ipso, in ipso et per ipsum evolvitur.

59. Christus determinatum doctrinae corpus omnibus temporibus cunctisque hominibus applicabile non docuit, sed potius inchoavit motum quemdam religiosum diversis temporibus ac locis adaptatum vel adaptandum.

60. Doctrina christiana in suis exordiis fuit iudaica, sed facta est per successivas evolutiones primum paulina, tum ioannica, demum hellenica et universalis.

61. Dici potest absque paradoxo nullum Scripturae caput,

a primo Genesis ad postremum Apocalypsis, continere doctrinam prorsus identicam illi quam super eadem re tradit Ecclesia, et idcirco nullum Scripturae caput habere eumdem sensum pro critico ac pro theologo.

62. Praecipui articuli Symboli Apostolici non eamdem pro christianis primorum temporum significationem habebant quam habent pro christianis nostri temporis.

63. Ecclesia sese praebet imparem ethicae evangelicae efficaciter tuendae, quia obstinate adhaeret immutabilibus doctrinis quae cum hodiernis progressibus componi nequeunt.

64. Progressus scientiarum postulat ut reformentur conceptus doctrinae christianae de Deo, de Creatione, de Revelatione, de Persona Verbi Incarnati, de Redemptione.

65. Catholicismus hodiernus cum vera scientia componi nequit nisi transformetur in quemdam christianismum non dogmaticum, id est in protestantismum latum et liberalem.

Sequenti vero feria V die 4 eiusdem mensis et anni, facta de his omnibus SSmo D. N. Pio PP. X accurata relatione, Sanctitas Sua Decretum Emorum Patrum adprobavit et confirmavit, ac omnes et singulas supra recensitas propositiones ceu reprobatas ac proscriptas ab omnibus haberi mandavit.

Petrvs Palombelli, *S. R. U. I. Notarius.*

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI NOSTRO
VINCENTIO S. R. E. CARDINALI VANNVTELLI
EPISCOPO PRAENESTINO

—

PIVS PP. X

VENERABILIS FRATER NOSTER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Solemnis Catholicorum conventus, hoc anno de more habendus honori sanctissimae Eucharistiae, Metas, ut nosti, indictus est in mensem proximum. Quanti sit apud Nos huiusmodi institutum, et quantopere Nobis fovendum videatur, vulgo putamus exploratum esse; sed tibi in primis Venerabilis Frater Noster, quem anno superiore ad eum conventum qui Tornaci habitus est, Legatum misimus. Etenim inter cetera quae, religionis causâ, boni in morem induxerunt, hoc maxime est salutare et frugiferum, quod frequentes in unum statis temporibus coëunt, consultandi gratiâ quo pacto ad cultum, venerationem usumque Sacramenti Augusti alios usque plures inflamment atque excitent. Quippe centrum christianae vitae, atque adeo Ecclesiae velut anima, in Eucharistia consistit; quam, quo magis catholicae gentes

in amore habuerint, eo uberius vitam *Iesu Christi* participaverint, eoque felicius christianae rei et privatim et publice consultum fuerit. Si quid igitur est singulari auctoritatis Nostrae suffragio dignum, certe haec tanta in Eucharistiam pientissimorum hominum studia sunt dignissima. Quare quod iam tibi mandavimus muneris, iterum mandare libet; ac propterea his te litteris Legatum Nostrum renuntiamus, qui conventui Eucharistico Metensi, nomine Nostro, praesideas. Hoc tu fungendo munere, tuam quidem eximiam sollertiam, pietatem, diligentiam praestabis; simul autem uberem, opinamur, sanctae laetitiae voluptatisque fructum capies. Nam, elaborantibus praesertim Venerabilibus Fratribus Metensi et Namurcensi Episcopis, ita intelligimus res apparari, ut iam nunc coniicere liceat, hunc coetum et frequentiâ virorum gravissimorum, et numero sacrorum Antistitum, et celebri civitatis hospitae concursu fore memorabilem. Fecundum autem praeclaris utilitatibus futurum, cernimus ex iis rebus quae erunt pertractandae: quarum summa huc redit, ut in cunctis christianae societatis ordinibus studium excitetur Eucharistici Convivii, potissimeque eius frequentandi consuetudo. Haec profecto quasi compendiaria via est ad salutem vel singulorum vel communem: hortari omnes et impellere, ut *Iesum* adeant in Eucharistia praesentem et vivum; qui, quum causa nobis et fons est omnium bonorum, tum nos, infinita instinctus caritate, ut laborantes reficiat, convocare ad se et invitare non cessat. Iam vero dantibus operam uti optatis amantissimi Redemptoris Nostri satisfiat cumulatius, Ipsius ad deliberandum lumina, ad agendum auxilia sine dubio affluent. Quorum auspicem munerum, ac peculiaris Nostrae benevo-

lentiae testem, tibi, Venerabilis Frater Noster, et universis qui in coetu interfuerint, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XIV Iulii anno MCMVII, Pontificatus Nostri quarto.

PIVS PP. X

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS SEDES EPISCOPALIS CONSTANTIENSIS
HONORE SACRI PALLII AVGETVR

—

PIVS PP. X

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Satis constat Ecclesiam Constantiensem veluti filiam benedictionis et gratiae vel ab antiquis temporibus in sinceritate devotionis et fidei erga Romanam Cathedram se iugiter, ut ait Bonifacius PP. VIII rec. me. Praedecessor Noster, constantem exhibuisse et ferventem. Et sane eadem Ecclesia tum Praesulum sanctimonia, tum summa Cleri populique pietate floruit. Ex Antistitibus Constantiensibus Iulianus de la Rovère Pontificatum obtinuit, alii, Romana Purpura donati, doctrinae verbo ac bonorum operum exemplo optime sunt de re Catholica meriti. Ipsa in dioecesi SSm̃i Corporis Christi festum, primum agi coeptum est; SS. Cordium Iesu et Mariae ibi cultus inchoatus; plura orta ibidem christianae pietatis opera, labentibus annis aucta feliciter, favente Domino in universum terrarum orbem brevi prorepserunt. Immane templum Archangelo Michaëli dicatum, quod Principes Regesque celebrarunt, atque innumerae fidelium turmae peregre confluentes quotannis lustrant, splendidum ac mirificum exstat Constantiensis dioecesis decus atque ornamentum. Haec animo

repetentes, cum Venerabilis Frater Iosephus Episcopus Nos enixis precibus flagitaverit, ut Sedis Constantiensis Praesulibus Sacri Pallii honorem decernere de Apostolica benignitate velimus, Nos votis hisce annuendum propensa voluntate existimavimus. Quae cum ita sint, omnes et singulos quibus Nostrae hae Litterae favent a quibusvis ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, Apostolica Nostra Auctoritate vi praesentium concedimus, ut tum Venerabilis Frater Iosephus Episcopus Constantiensis, tum ipsius in munere successores, in perpetuum, servatis servandis, ac iuxta Sacrorum Canonum praescriptiones, Pallio uti queant, omnibusque et singulis iuribus, privilegiis, honoribus et praeeminentiis polleant, quibus alii Antistites simili aucti honore fruuntur. Decernentes praesentes Litteras firmas, validas et efficaces semper exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque illis ad quos spectat et pro tempore spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum esse et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XVII Iulii MCMVII, Pontificatus Nostri anno quarto.

L. ✠ S.

R. CARD. MERRY DEL VAL,
a Secretis Status.

BREVE GRATVLATORIVM

LABENTE ANNO QVINQVAGESIMO

AB ERECTIONE COLLEGII AMERICANI LOVANII IN BELGIO

—

PIVS PP. X

AD FVTVRAM REI MEMORIAM

In hac Beati Petri Principis Apostolorum Cathedra nullis quidem meritis Nostris divinitus collocati, ad pia potissimum instituta, in quibus adolescentes in Ecclesiae spem succrescentes liberalibus disciplinis simul ac religiosa pietate imbuuntur, paterno ac vigili studio oculos mentis Nostrae convertimus; et quae ceteris praestare noscamus, tum alumnorum frequentia ac diligentia, cum assidua bonorum operum exercitatione, ea debito laudum praeconio, libenti quidem gratoque animo prosequi satagimus. Frugifera vero haec inter instituta pluribus nominibus optime de re sacra merita, iure meritoque accensendum est Collegium Americanum Lovanii in Belgio, anno MDCCCLVII erectum ad finem excipiendi e variis Europae nationibus iuvenes illosque ita erudiendi, ut inde novi ad Foederatos Americae Septentrionalis Status, divini verbi praecones, solvant. Collegium enim illud maxima brevi, favente Deo, incrementa habuit. Et sane ab eodem plus quam quingenti prodierunt Missionarii, qui religionis provehendae studio flagrantes, neque laboribus fracti, neque

adversis rebus defatigati, sed ad pretiosam usque in conspectu Domini sanguinis effusionem pro Christi fide parati, uberrimos in Dominico agro excolendo fructus perceperunt. In omnes vel longo terrarum spatio dissitas Foederatorum Statuum Americae Septentrionalis regiones, exivit sonus eorum, auctaque feliciter in illis partibus Christi re, Missionariorum eorundem actuosi zeli, ac germanae fidei, nec non immutati erga Romanam Cathedram obsequii miranda ibidem testimonia suppetunt. Nunc autem cum hoc anno quinquagesimus sese vertat a primaeva Collegii ipsius erectione, placet Nobis votis annuere Antistitis Covingtoniensis, Praesidis Commissionis Episcoporum Americanorum memorati Collegii regimini praepositae, atque auspicatissima eadem occasione propensae Nostrae voluntatis sensus significare. Etenim hac tempestate, qua tot tantaque mala videt lugetque Christianus Orbis, gratum Nobis est, exantlatos pro vera fide propaganda labores celebrare, ut alii ad imitationem excitentur, atque egregia Missionariorum facinora studeant aemulari, ne quid Catholicum nomen detrimenti capiat, sed disiectis hostium molitionibus, novo Christi Redemptoris religio splendore renideat. Itaque hortamur ipsius Collegii doctores et alumnos, ut stent in fide constantes, nunquam a proposito sibi fine deflectant, sed maiorum vestigiis insistentes omni ope studeant, ut Americae Septentrionalis regiones Evangelicis praeconibus abundent. Propterea precamur bonorum omnium auctorem Deum, ut ipsum Collegium fortunet propitius, ut illius moderatores, doctores, alumnos et benefactores, peculiaribus misericordiae suae gratiis complectatur, atque interim caelestium munerum auspicem,

Nostraeque benevolentiae testimonium, Americani praefati Collegii moderatoribus, doctoribus, alumnis et benefactoribus, quos recensuimus, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XIX Iulii MCMVII, Pontificatus Nostri anno quarto.

L. ✠ S.

R. CARD. MERRY DEL VAL,
a Secretis Status.

EPISTOLA

VENERABILIBVS FRATRIBVS
ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS
REGIONIS PICENAE

—

PIVS PP. X

VENERABILES FRATRES
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

In causa sane gravissima, qualis est accommodate ad necessitates temporum institutionem ordinare sacrae iuventutis, quum ad vos, sicut ad ceteros Italiae Episcopos, egregium virum legavimus, non equidem dubitabamus de diligentia sollertiaque vestra. Noramus praesertim sollicitos vos esse et anxios ob istam, quae hodie serpit in ipso Clero, perniciosarum opinionum licentiam cum contumacia superbiaque coniunctam: ac propterea laborare, ne alumnos vestros sacri ordinis aliquid ea contagio laederet. Sed tamen in re tanti momenti vobis auctoritate, et consilio praesto esse, Nostrum duximus. Nunc autem hoc Nostrae providentiae officium a vobis pro merito aestimari, documento sunt communes litterae, e Lauretano coetu ad Nos datae, in quibus gratias Nobis diligenter agitis, vosque optatis Nostris naviter obsequi velle profitemini. Probe enim intelligitis, quanti intersit in Seminariis vestris rationem disciplinae, quemadmo-

dum Nos cupere significavimus, novari: nempe ad instruendos uberiore quadam copia et virtutis et doctrinae adolescentes, qui deinde non modo sancte versentur in sacerdotali munere, inviolateque sapientiae catholicae integritatem servent, sed etiam, in tanto ingeniorum cursu tantaque agitatione studiorum, sacerdotii dignitatem decusque sustineant. Itaque sciatis, Nos hoc solemni obsequii vestri testimonio valde delectatos, magnaque esse in exspectatione eorum quos, favente Deo, navitas laborque vester feret optimos fructus. Quod vero Deiparae, in aede ipsius sacerrima, fuistis pro Nobis supplices, vestram in Nos pietatem grato amplectimur animo; vobisque vicissim, potentissimo Eiusdem patrocinio adhibito, lectissima precamur a Deo munera. Quorum auspicem, ac praecipuae Nostrae benevolentiae testem, vobis, Venerabiles Fratres, gregibus vestris, nominatim Seminariorum alumnis Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXV Iulii anno MCMVII, Pontificatus Nostri quarto.

PIVS PP. X

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
VICTORI LVCIANO S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI LECOT
ARCHIEPISCOPO BVRDIGALENSI
BVRDIGALAM

PIVS PP. X

DILECTE FILI NOSTER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Ea *Consociatione ab Apostolatu Eucharistico,* condita nuper in ista dioecesi, litteras a religioso viro, eius moderatore, accepimus, quibus tuam, dilecte Fili Noster, accuratam commendationem adscripseras. Rem tibi videri dignam cui summa tua studia tribuas, non miramur. Profecto quum multa a Catholicis utiliter instituta sint ad divinam gloriam et ad bonum animarum, tum hoc in primis: homines pientissimos magna amoris conspiratione consentire ad divinam percolendam Eucharistiam, non tam ut suae ipsorum pietati satisfaciant, quam ut, ex ipso corde Redemptoris amantissimi et lumina consilii et subsidia gratiae petentes, communi saluti dent operam, ductu sacerdotum. Planum est, qui se ita animatos praestent, eos praeclaro oportere esse adiumento administris Sacrorum; incitamento aliis qui pro religione contendant; reliquis exemplo. Hos autem fructus optimos

ibi evenire intelligimus, ubi consociatio id genus est primum constituta; quae quidem brevi futurum ut in aliis ditionis tuae paroeciis exsistat, vehementer gaudemus. Sed tamen multo eam latius propagari velimus: atque utinam, non modo in finibus Galliae, sed in orbe terrarum nulla aliquando sit paroecia quae tam salutari careat instituto. Neque enim solum apud vos res christiana laborat: ubique gentium iis iam premitur malis quibus mederi unius praesentia et caritas Iesu Christi possit. Quoniam igitur in Eucharistia infinitae caritatis huius incendium ardent, sequitur ab ipsa potissimum debere animos inflammari Catholicorum; id quod isti sodalitio est propositum. Iamvero libet in hac causa Antistitum Sacrorum diligentiae confidere: tua enim Nobis est exploratissima. Interea, ut bona coepta provehamus, ad cetera pontificalis indulgentiae munera hoc addimus, ut quoties quis pie hanc obsecrationem recitaverit « *Cor Iesu sacratissimum,* « *te amore mei flagrare credo* », vel eamdem gallice » *Cœur* « *Sacré de Jésus, je crois à votre amour pour moi* », toties de dierum poenalium numero trecentos expungat. Auspicem autem caelestium bonorum, ac testem praecipuae Nostrae benevolentiae, tibi, dilecte Fili Noster, atque omnibus, qui consociationis ab Apostolatu Eucharistico sunt erunt participes, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xx Augusti anno MCMVII, Pontificatus Nostri quinto.

PIVS PP. X

INSTRUCTIO

SACRAE ROMANAE ET VNIVERSALIS INQVISITIONIS AD REVERENDISSIMOS LOCORVM ORDINARIOS FAMILIARVMQVE RELIGIOSARVM MODERATORES

—

Recentissimo Decreto « *Lamentabili sane exitu* » diei 3 Iulii c. a. ab hac S. Congregatione S. Romanae et Universalis Inquisitionis, iussu D. N. Pii Papae X, notati atque proscripti sunt praecipui quidam errores qui nostra aetate a scriptoribus, effrenata cogitandi atque scrutandi libertate adreptis, sparguntur, et altioris scientiae fuco et specie propugnantur.

Quum autem errores occulti serpere, et, quod maxime luctuosum est, incautos animos, iuvenum praesertim, occupare soleant, ac semel admissi difficillime radicitus ex animo evellantur, immo, etiam eradicati, plerumque sponte sua repullulent, opportunum visum est Eminentissimis et Reverendissimis Dominis Cardinalibus in rebus fidei et morum una mecum Inquisitoribus Generalibus, Decreto supra laudato monita quaedam adiungere, quibus plenius et efficacius attingatur finis quem S. Sedes in reprobandis erroribus sibi proposuerat consequendum.

Memores igitur imprimis sint, ad quos pertinet, necessarium esse ut sive in Seminariis clericorum saecularium et studiorum domibus Religiosorum, sive in Universitatibus,

Lyceis, Gymnasiis aliisve educationis collegiis vel institutis, a iuvenum institutione omnino removeantur moderatores atque magistri qui damnatis erroribus infecti cognoscuntur, vel eorum suspecti merito habentur.

Necessarium pariter erit interdicere, praesertim Seminariorum alumnis ac universim viris ecclesiasticis, ne nomen dent libellis periodicis, quibus neoterici errores sive aperte propugnantur sive latenter insinuantur, neque quidquam in eis publici iuris faciant. A qua regula non deflectant, etsi aliquando gravis ratio aliud suadere videatur, nisi de consensu Ordinarii.

Consultum postremo erit sacram ordinationem differre vel etiam prorsus denegare iis qui, quod Deus avertat, neotericis erroribus imbuti essent, quos non ex animo reprobarent atque reiicerent.

His autem pro zelo quo erga gregem sibi creditum animantur Ordinarii, illa adiicere non omittant consilia ac remedia quae pro ratione locorum et circumstantiarum opportuna iudicaverint ad zizania penitus ex agro Domini evellenda.

Datum Romae ex Aedibus S. O., die 28 Augusti 1907.

S. Card. VANNUTELLI.

DECRETVM

SACRAE CONGREGATIONIS CONSISTORIALIS

DISMEMBRATIONIS

DIOECESEOS DE POVSO ALEGRE

IN BRASILIANA REPVBLICA

ET ERECTIONIS NOVAE DIOECESIS CAMPANIENSIS

—

Spirituali fidelium bono promovendo nihil magis conducit quam quod rei sacrae procuratio in quavis dioecesi recte apteque secundum temporum locorumque adiuncta ordinata sit et disposita. Quod quidem tum maxime obtinetur cum dioeceses nimis amplae non sunt, ita ut Pastores commissis sibi ovibus opportuna, quibus indigent, aeternae salutis subsidia facile et commode ferre possint. Atque hinc plane intelligitur Apostolicae Sedis studium in novis constituendis episcopalibus Sedibus, iis praesertim in regionibus, quae cum recentiori aevo detectae sint atque latissime pateant, ob exterorum immigrationem nostra hac aetate maxima susceperunt civium incrementa. Eapropter cum civitatis, cui nomen *Campañha*, in Brasiliana Republica, fideles enixis nuper apud Apostolicam Sedem institerint precibus, ut eadem civitas, certis quibusdam eidem adnexis paroeciis e dioecesi de Pouso Alegre, ad Sedis episcopalis decus et dignitatem eveheretur, SSmus D. N. Pius PP. X, cunctis quae consideranda erant matura deliberatione perpensis, exquisita antea, uti rei gravitas expostulabat, Sacri Consilii S. R. E. Cardinalium qui

Negotiis ecclesiasticis extraordinariis expediendis praepositi sunt, sententia, oblatis precibus annuendum censuit, atque potestate utens Sibi et Apostolicae Sedi expresse reservata in Consistoriali decreto, cuius initium *Regio latissime patens* die IV Augusti anno MCM edito, quo dioecesis de Pouso Alegre constituta est, novam libere faciendi eiusdem dismembrationem seu circumscriptionem quandocumque id in Domino expedire visum fuerit, quod bonum, faustum felixque sit, Dei gloriae Religionisque incremento benevertat novam dioecesim, ab urbe *Campañha* Campaniensem nuncupandam, erigere decrevit, prout sequitur:

I.

In primis itaque Beatitudo Sua de Apostolicae potestatis plenitudine e dioecesi de Pouso Alegre paroecias separavit Aguapé, Barranco Alto, Corrego do Omo, Campos Geraes, Dores de Bôa Esperança, Espirito Santo dos Coqueiros, Santa Anna de Varzea, Tres Pontas, San Joâo Nepomuceno de Lavras, Varginha, Carmo de Cachoeira, Lavras, Luminarias, Carrancas, S. Vicente Ferrer, Tres Coraçôes, S. Thomé das Lettras, Encruzilhada, Serranos, Aguruóca, Lagôa de Aguruóca, Pieù, Capivory, Pouso Alto, Passa Quatro, Virginia, Baependy, Carmo do Rio Verde, Conceiçao do Rio Verde, Christina, Lambary, Aguas Virtuosas, Campañha, Pontal, S. Gonçalo, Volta Grande, Santa Catharina, S. Sebastiâo da Pedra Branca, Santa Izahel dos Coqueiros, Rosario do Rio Grande vulgo nuncupatas, atque universum territorium ex iisdem paroeciis constitutum, limitibusque infra

describendis circumscriptum in novam instituit atque erexit dioecesim, ab urbe *Campañha* Campaniensem nuncupandam, ubi novus Episcopus eiusque in perpetuum successores residere debebunt, omnesque incolas utriusque sexus sive laicos, sive clericos vel religiosos, non tamen exemptos, intra earumdem paroeciarum fines commorantes, itemque Ecclesias, Conventus, Monasteria, pia Instituta, si quae ibi exsistant, aliaque quaecumque saecularia ac regularia beneficia, ab Ordinaria iurisdictione Antistitis dioecesis de Pouso Alegre atque ab omni iure Capituli eiusdem cathedralis Ecclesiae perpetuo exemit subtraxit et episcopali Ecclesiae Campaniensi eiusque futuro Praesuli pro suis civitate, territorio, Clero et populo supposuit atque subiecit.

II.

Novae igitur dioecesis Campaniensis fines hi erunt: Ad Septentriones et ad Ortum flumen magnum seu vulgo *Rio Grande;* ad Meridiem idem flumen atque limites quibus dioeceses de Pouso Alegre et Sancti Pauli ad invicem hactenus secernebantur; ad Occasum tandem montes quos a Sancto Ioanne nuncupant, et flumina *Turvo* et *Sapucahy* vulgo appellata.

III.

Urbem deinde *Campañha* vulgo appellatam Sanctitas Sua in novae dioecesis civitatem episcopalem erigi voluit, eidemque iura omnia, honores et praerogativas concessit, quibus reliquae in Brasiliana Republica civitates episcopali Sede insignitae earumque cives fruuntur et gaudent.

IV.

Ecclesiam in eadem civitate Sancto Antonio dicatam Beatitudo Sua in Campaniensis dioecesis cathedralem Ecclesiam sub eodem titulo et invocatione constituere dignata est, et in ea Sedem et dignitatem episcopalem pro uno Episcopo, Campaniensi appellando, qui eidem Ecclesiae eidemque civitati et dioecesi praesit, Synodum convocet, et omnia et singula iura, officia et munia episcopalia habeat et exerceat cum suis Capitulo, mensa episcopali, ceterisque cathedralibus et pontificalibus insignibus, iurisdictionibus, praerogativis, privilegiis, honoribus, gratiis et indultis realibus, personalibus et mixtis, quibus reliquae cathedrales Ecclesiae in Brasiliana Republica exsistentes, earumque Praesules, non tamen titulo oneroso aut peculiari indulto fruuntur et frui poterunt, de Apostolicae potestatis plenitudine erigere et constituere.

V.

Cum ad divini cultus expensas reficiendas aliisque occurrendum necessitatibus, quam maxime intersit ut congruis proventibus et redditibus episcopali mensae dioecesis Campaniensis consulatur, cumque novae dioecesi, sicut et ceteris in Brasiliana Republica, nulla alia bona praesto sint, nisi ea quae ex pia fidelium liberalitate proficiscuntur, illud summopere in votis habet et fore confidit Sanctitas Sua, ut fideles quorum spirituali utilitati nova episcopalis Sedes constituta est, suis oblationibus opem et subsidia conferant, quibus Campaniensis Praesul et suae dignitatis decorem tueri valeat

et divini cultus expensis sacrorumque Ministrorum sustentationi consulere et dioecesanis operibus providere: haec porro subsidia eadem Sanctitas Sua in dotem seu mensam Campaniensi dioecesi assignat et attribuit.

VI.

Novae dioecesis Campaniensis futuro Episcopo iniunxit Sanctitas Sua, ut, ubi primum fieri poterit, cathedrale Capitulum, secundum Sacrosancti Tridentini Concilii decreta, instituendum curet, servato Canonicorum numero, servatis iisdem Dignitatibus, quibus cetera cathedralia Capitula in Brasiliana Republica constant. Interim vero, donec Capitulum ipsum canonice erectum fuerit, Episcopus in praestantioribus suae dioecesis negotiis consilium sibi assumat ex probatis sibi subditis ecclesiasticis viris, eorumque prudentia utatur.

VII.

Quum vero cathedrale Capitulum canonice fuerit erectum, Beatitudo Sua facultatem ipsi concedit statuta, ordinationes et decreta, sacris canonibus atque Apostolicis constitutionibus, Concilii praesertim Tridentini praescriptionibus consona, condendi et edendi, sub Ordinarii tamen consensu et adprobatione, itemque privilegia omnia, quibus reliqua cathedralia Capitula in Brasiliana Republica fruuntur, iis tamen exceptis quae aut oneroso titulo, aut peculiari indulto obtenta fuerint.

VIII.

Illud pariter vehementer exoptat ac praecipit Sanctitas Sua ut Campaniensis Praesul solertem et impigram det ope-

ram Clericorum Seminario, secundum Sacrosanctae Tridentinae Synodi decreta, ubi primum fieri poterit, constituendo, omni cura adhibita ut in eo alumni, qui in Ecclesiae spem succrescere debent, ad pietatis officia informentur, sacrisque disciplinis ad mentem divi Thomae erudiantur. Cumque in Urbe exsistat Collegium Pium Latinum Americanum, in quo summa cum Ecclesiae utilitate Clerici omnium dioecesium Americae Latinae ipsis sub oculis Romanorum Pontificum aluntur, voluit Beatitudo Sua ut, quemadmodum e ceteris Brasiliae dioecesibus, ita et e Campaniensi, secundum ea quae a plenario totius Americae Latinae Concilio Romae anno MDCCCXCIX celebrato statuta sunt, bini ad illud, non intermissa vice, alumni mittantur.

IX.

Item voluit Sanctitas Sua ut documenta omnia, personas vel loca respicientia, quae hactenus iurisdictioni Ecclesiae cathedralis de Pouso Alegre subiecta fuere quaeque hoc Consistoriali Decreto novae Campaniensi dioecesi attributa sunt, e Cancellaria episcopali de Pouso Alegre extrahantur et Cancellariae noviter erectae episcopalis Sedis tradantur, in ea in posterum fideliter custodienda.

X.

Novam Campaniensem Dioecesim ita erectam Beatitudo Sua in suffraganeam constituit Metropolitanae Ecclesiae Mariannensis eiusdemque Archiepiscopi metropolitico iuri subiecit ac submisit.

XI.

In hac nova Campaniensi cathedrali Ecclesia erigenda eiusque limitibus designandis Sanctitas Sua Sibi et Apostolicae Sedi facultatem expresse reservavit eiusdem dioecesis dismembrationem vel novam circumscriptionem libere decernendi quandocumque id in Domino opportunum visum fuerit, nullo in id Campaniensis Episcopi aut cathedralis Capituli assensu requisito, nullave attributa territoriali compensatione.

XII.

Ea demum omnia, quae res, iura et personas respiciunt, quorum expressa mentio in hoc Consistoriali Decreto facta non fuit, statuit Beatitudo Sua firma ac rata secundum canonicas leges et catholicae Ecclesiae disciplinam manere debere. Si qua tamen difficultas aut controversia circa praemissa in nova erecta dioecesi forte in posterum sit oritura; ea ad Apostolicam Sedem deferenda erit, quae, omnibus mature perpensis, prout de iure decernet.

XIII.

Beatitudo Sua, attenta temporum conditione, noviter erectam Ecclesiam cathedralem Campaniensem in florenos auri de Camera triginta tres cum tertia floreni parte taxari iussit, eamdemque taxam in libris Camerae Apostolicae de more describi.

XIV.

Ad praemissa demum exsequenda Sanctitas Sua deputari mandavit R. P. D. Alexandrum Bavona, Archiepiscopum titularem Pharsalensem et in Brasiliana Republica Nuntium Apostolicum, cum facultatibus necessariis et opportunis etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quamcumque aliam personam in ecclesiastica dignitate constitutam, itemque definitive pronunciandi super quacumque oppositione in exsecutione peragenda quomodolibet oritura, iniuncta eidem obligatione ad Sacram hanc Congregationem Consistorialem intra sex menses transmittendi acta et decreta, authentica forma exarata, exsecutionis peractae, mandavitque praesens super praemissis fieri Consistoriale Decretum perinde valiturum ac si super iisdem Apostolicae Litterae sub Plumbo vel sub anulo Piscatoris expeditae fuissent, et inter acta referri Sacrae huius Congregationis Consistorialis.

Datum Romae hac die VIII Septembris, anno Domini MCMVII.

Pro R. P. D. SECRETARIO
IVLIVS GRAZIOLI
S. C. Consistorialis et S. Collegii *Substitutus*.

EPISTOLA

DILECTIS FILIIS NOSTRIS
GEORGIO S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI KOPP
EPISCOPO VRATISLAVIENSI
ANTONIO S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI FISCHER
ARCHIEPISCOPO COLONIENSI
ET VENERABILIBVS FRATRIBVS
THOMAE ARCHIEPISCOPO FRIBVRGENSI
CETERISQVE E GERMANIA EPISCOPIS
QVI FVLDAM CONVENERVNT

—

PIVS PP. X

DILECTI FILII NOSTRI ET VENERABILES FRATRES
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Vestrum ad Sancti Bonifacii cineres conventum de more nuper auspicati estis officio communium ad Nos litterarum, in quibus cum vestram Nobiscum coniunctionem, tum vero pastoralem diligentiam multum amavimus. Ita, proposito exemplo magni Germanorum Apostoli, non cessatis contendere ut utraque ea laus in vobis summa sit: quam quidem contentionem acuit, uti par est, conditio horum temporum. Nimirum sollicitat vos, quemadmodum bonos decet Episcopos, ratio ab adversariis rei catholicae nunc usitata, qui, fallaciis aggressi labefactare imperitorum fidem, hoc

maxime persuadere student, scientiae progressionibus civilisque cultus Ecclesiam naturâ obsistere. Id quod iure vobis gregum vestrorum saluti timentibus, eo maiori est sollicitudini, quia iam cum externo periculo domesticum coniungitur. Nempe deploranda est, nec ea solum in Germania, opera hominum, qui professione catholici, plus tamen quam fas est suo ipsorum iudicio tribuentes, nimium quantum in rebus maximis accedunt ad acatholicos: incaute illi quidem magnam partem, opinamur, nec voluntate improba, sed tamen perniciose sibi, pessimoque cum exemplo populi christiani. Horum aberrantes a Fidei norma sententias, quas disseminari in vulgus videremus, graviter pro Apostolico Nostro munere, ut ipsi grate profitemini, improbavimus: ideoque non est desperandum, eos qui magisterium Ecclesiae revereri nondum desierint, ad sanitatem redituros. Recte igitur vos proxime, quum una simul essetis, praeter cetera quae vestris ecclesiis opportuna viderentur, hoc in primis deliberandum existimastis, quo pacto tantum resecare malum possetis, aut certe, ne manaret latius, prohibere. Nec dubitamus, quin et optime in rem consulueritis, et consulta constanter effecturi sitis. Sed enimvero illud causam continet, quod confirmatis vestrum esse, dare operam, ut quotquot sunt curis vestris crediti, studiosius in dies huic beati Petri Cathedrae adhaerescant, in qua doctrinae vitaeque christianae regulam divinitus esse constitutam norunt. Faveat, precamur, consiliis conatisque vestris auctor et conservator Ecclesiae, Christus Dominus; nec patiatur Germaniae Catholicos quidquam unquam de singulari illa religionis constantia remittere, quam in eis admirari consuevimus. Auspicem interea

divinorum munerum, ac testem praecipuae Nostrae benevolentiae, vobis, dilecti Filii Nostri et Venerabiles Fratres, vestroque Clero et populo Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die IX Septembris anno MCMVII, Pontificatus Nostri quinto.

PIVS PP. X

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS

TRANSFERTVR RESIDENTIA DIOECESIS NESQVALLIENSIS

IN VRBEM « SEATTLE »

IPSIQVE DIOECESI « SEATTLENSIS » NOMEN

IMPONITVR

—

PIVS PP. X

AD FVTVRAM REI MEMORIAM.

Quae rei sacrae procurationi melius gerendae facere possunt, ea Nos pro Supremo Apostolatu Nobis commisso libenter Apostolica Auctoritate Nostra efficimus. Cum vero Venerabilis Frater Eduardus O'Dea, Episcopus Nesqualliensis, enixe a Nobis postulaverit, ut dicta sua dioecesis, quae per similes Apostolicas Litteras die XXXI mensis Maii anno MDCCCCI datas, in Provincia Ecclesiastica Oregonopolitana Statuum Foederatorum Americae Septentrionalis erecta, atque ab ipso Archiepiscopatu Oregonopolitano disiuncta fuit, nunc ob mutatas eius conditiones, novam Episcopalem Residentiam in urbem quam *Seattle* vocant habere queat, et ab hac nomen dioecesis Seattlensis acquirat; Nos omnibus cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis mature perpensis, ut facilius Pastoralis regiminis exercitio via muniatur, simulque spirituali earum regionum Christifidelium bono satius consultum sit, Motu proprio et

ex certa scientia ac matura deliberatione Nostris, Sedem Episcopalem dioecesis Nesqualliensis in urbem vulgo *Seattle* Apostolica Auctoritate Nostra praesentium tenore transferimus, atque exinde eandem Dioecesim « Seattlensem » nuncupari iubemus. Haec praecipimus et constituimus, decernentes praesentes Litteras, firmas, validas, et efficaces semper exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque illis ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum esse et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, ac fel. rec. Benedicti XIV Decessoris Nostri Constitutione super divisione materiarum, aliisque Constitutionibus et Sanctionibus Apostolicis, nec non eiusdem dioecesis Nesqualliensis, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XI Septembris MCMVII, Pontificatus Nostri anno quinto.

L. ✠ S.

R. CARD. MERRY DEL VAL,
a Secretis Status.

DE COLLEGIO POENITENTIARIORVM
ORDINIS FRATRVM MINORVM
IN SACROSANCTA BASILICA LATERANENSI
REFORMANDO

—

PIVS PP. X

MOTV PROPRIO

Singulari curare studio ut praeclarus Ordo Fratrum Minorum in omnibus rebus suum decus dignitatemque retineat, Nostrum intelligimus esse, quandoquidem ad Apostolici muneris officium accedit quod ipsius Ordinis patrocinium sustinemus. Itaque, cum in Collegio Poenitentiariorum Franciscalium Sacrosanctae Basilicae Lateranensis videamus magnopere interesse ad custodiam disciplinae, ut de legibus et institutis quibus Collegium utitur, aliquid immutetur, ea quae infra scripta sunt, Motu Proprio decernimus:

I. Collegii candidatos Minister generalis Cardinali Poenitentiario maiori designabit: eos probandi et in Collegium cooptandi eidem Cardinali ius esto.

II. Ex Poenitentiariis rite adlectis Minister generalis Praesidem Collegii dicet: id munus triennale esto.

III. Poenitentiarii collegiati in iis quae ad sacrum ipsorum ministerium pertinent, dumtaxat Cardinali Poenitentiario maiori parebunt.

IV. Quod vero ad observantiam attinet religiosae disciplinae et Constitutionum generalium Ordinis, praesertim de vita communi et visitatione canonica, iidem sub iurisdictione Ministri generalis manebunt, ab eo, non secus ac ceteri sodales religiosi, gubernandi. Is tamen ne quemquam a Collegio in perpetuum removeat, nisi Cardinali Poenitentiario maiori consulto.

V. Qui Poenitentiarii munus cum laude sexennium administrarint, nomen et gradum *Excustodis* in sua quisque provincia obtineant: qui vero id ipsum praestiterint ultra sexennium, Definitorum generalium erit decernere, quibus privilegiis ornandi sint.

Haec statuimus, non obstantibus, licet speciali mentione aut derogatione dignis, in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, die XVII Septembris anno MCMVII, Pontificatus Nostri quinto.

PIVS PP. X

DE FAMILIA FRATRVM MINORVM
NEAPOLI AD SANCTAE CLARAE COMMORANTIVM
REFORMANDA

—

PIVS PP. X

MOTV PROPRIO

In domibus Ordinum religiosorum illud permagni sane refert, sanctarum, quibus reguntur, legum vigere observantiam: cum qua, non solum magna christiani populi utilitas, sed ipsa Sodalium sempiterna salus coniungitur. Hanc Nos tam necessariam laudem cum apud Fratres Minores qui Neapoli ad Sanctae Clarae commorantur, desiderari iam nolimus, Apostolici officii conscientiâ, atque etiam peculiari erga eos dilectos filios caritate impulsi, quae sequuntur decernimus, edicimus:

I. Neapolitanum Fratrum Minorum Coenobium, perinsigni monasterio atque aedi Sanctae Clarae continens, proxime et omnino potestati Ministri generalis Minorum subiectum esto. Salva tamen iura sint Archiepiscopi Neapolitani pro ea, quam habet, secundum statuta Canonum, auctoritatem ordinariam et delegatam in Religiosos exemptos, praesertim qui Monialibus, solemni ritu Deo devotis et clausurae lege obstrictis, sacri muneris officia praestant.

II. Ministri generalis erit: ex consulto Definitorum generalium *Guardianum* Coenobii pro tempore et instituere et removere; Sodales, quotquot ei Coenobio et Monasterio opus fuerint, tum sacerdotes tum laicos, de quibuslibet Italiae provinciis evocatos, praeceptivis litteris in idem Coenobium destinare; eosdem, nullo excepto, per se aut per alium pro potestate inviscre, corrigere ad frugem, si res postulaverit, atque etiam in suam quemque provinciam remittere.

III. Coenobii Sodales, omnes ad unum, perfectam vitae communitatem inter se, sine mora, instituant. Itaque quidquid pecuniae, quoquo titulo, singuli acquisiverint aut acquisituri sint, omne quamprimum in manus tradant Syndici Apostolici. Hic sibi tradita in acervum congeret, de quo victum vestitumque communem ceterasque res, Praepositi sententia, necessarias comparanda curabit. Pecuniam vero retinere aut contrectare aut quidquam in eam sibi arrogare iuris, nulli e Sodalibus quaquam de causa fas esto, ne si legitimam quidem veniam alias impetrarit.

IV. Iidem praeterea sciant suas esse partes, ut Franciscanam vivendi Regulam, Constitutiones generales Ordinis, Statuta peculiaria quae Definitorium generale ediderit, inviolate servent; ut Officium Divinum in Choro statis horis persolvant; denique ut munia faciant omnia, quae in quovis rite constituto Coenobio Ordinis fieri, ius est.

Quaecumque hoc Motu Proprio statuta sunt, nullo unquam tempore de subreptionis aut obreptionis, sive intentionis Nostrae vitio, aliove quovis defectu notari vel impugnari posse; sed semper ab omnibus, ad quos pertinent, inviolabiliter observari debere, decernimus; contrariis non obstantibus

quibuscumque, etiam speciali mentione dignis, quibus omnibus ex plenitudine potestatis quoad praemissa expresse derogamus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XVII Septembris anno MCMVII, Pontificatus Nostri quinto.

PIVS PP. X

EPISTOLA

DILECTIS FILIIS NOSTRIS
CLAVDIO S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI VASZARY
ARCHIEPISCOPO STRIGONIENSI
IOSEPHO S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI SAMASSA
ARCHIEPISCOPO AGRIENSI
VENERABILIBVS FRATRIBVS
CETERIS ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS HVNGARIAE

—

PIVS PP. X

DILECTI FILII NOSTRI ET VENERABILES FRATRES
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Tempus propediem aderit, vestrae maxime genti expectatum, memoriam Sanctae Elisabethae Hungaricae insueta laetitia renovandi, septimo post diem eius natalem exacto saeculo. Omnino ad haec apparanda solemnia summam apud vos esse omnium ordinum consensionem et alacritatem accepimus: nec miramur; consentaneum est enim, qua vos religione tam clarum patriae lumen semper coluistis, eam nunc singularem in modum apparere. Illud admirationem affert, sane gratissimam, quod, ut intelligimus, habendis Elisabethae honoribus, non modo una ex Archiducibus, christianae caritatis officiis probatissima, praecipuam ante alios

curam operamque tribuit, sed ipse Rex Apostolicus, nullo antehac exemplo, auspicem se ac patronum impertit. Itaque auctoritate Augustae Domus cum tantis cumulata studiis civium, facile est prospicere, erga sanctissimam Foeminam numquam significationes factas esse tam illustres pietatis publicae. — Summopere Nos quidem ista delectant, quae cum declarant quam vivax in vobis sit avita fides, tum vero spem Nobis dant fructuum optimorum, eorumque christiano populo universo, non soli Hungariae vestrae, salutarium. Neque enim putandum est, sine benigno quodam Dei consilio fieri, ut specimen sanctitatis, quod in illa Andreae regis filia oblatum est Ecclesiae saeculo tertiodecimo, rursus, insigni eius commemoratione vestra, expositum in luce orbis catholici, omnium oculos atque animos ad se convertat. — Profecto in vitam et mores intuentem Elisabethae, vehementer capiant necesse est maximarum exempla virtutum omne genus, quum brevi quidem ea cursum aetatis, at in summa fortunae varietate confecerit. In aula Thuringiae, ubi desponsa et destinata Ludovico ducis filio adolescebat ad nuptias, puellula quantam virtutis maturitatem ostendit! Intento ad Deum semper animo, mortalia contemnere, subesse obedienter, generose simultates contumeliasque perferre, quas vel modestia cultus, vel studium paupertatis, vel pietatis ardor ei comparabat. Compressere parumper hostiles animos coniunctae contra istorum vota nuptiae, quo interim spatio Elisabethae laudes, nemine iam obsistente, visae sunt elucere splendidius. Scilicet *mulierem fortem,* divinis adumbratam Litteris, agnovit Thuringia, coniugi unanimo natisque et familiae sua diligentissime officia praestantem, simul inopes omnes et cala-

mitosos materna caritate complectentem; id quod maxime exstitit in annonae gravitate, quum populo, fame periclitanti, in primis liberalitate misericordiaque ducis suae quaesita salus. Consecuta sunt tempora, plena miseriarum atque luctus, quum viri in Palaestinam discessum immaturamque subinde mortem, atque, erumpente iterum eoque violentius invidiae flamma, spoliationem dignitatis et omnium bonorum tulit. Coacta cum parvis natis mendicato sustentare vitam ipsa, regius sanguis et Thuringiae domina, tum enimvero dedit obsequii erga divinam voluntatem, amoris adversus inimicos, patientiae et fortitudinis documenta maxima. Quae, conversis feliciter tandem rebus, quum posset ex egestate ignominiaque emergere, noluit tamen: sed instituto Francisci Assisiensis, similitudinem Iesu Crucifixi cupidissime appetens, vitae genus nuditate poenitentiaque asperrimum, ad extremum usque spiritum, duxit. — Iam ex his velut primis lineamentis patet, quantum christianae perfectionis exemplar in Elisabetha muliebre secus praecipue, virgines, nuptae, viduae habeant sibi quaeque propositum. Quod utinam pleraeque contendant imitando assequi: saluti societatis christianae, magnam partem, consultum erit. Nos quidem certe universas, ut id studeant, hortamur: sed potissime ex eis in Ordinem Franciscalium Tertium adlectas; quae, quum peculiari apud Deum patrona Elisabetha utantur, debent studiosius ceteris virtutes eius velle exprimere. — Ad saecularia sacra quod attinet, ut Hungarorum erga beatissimam Foeminam acuatur pietas, atque ut caeremoniarum celebritas augeatur, libet Nobis aliquod pontificalis indulgentiae munus afferre. Novimus, vos a die XVI mensis Novembris proximi supplicationem in triduum per

Hungariam totam in certis destinatisque templis habituros. Quotquot igitur unoquoque die huic supplicationi interfuerint, eis damus, ut ipsa supplicatio ad labes animi expiandas septennis supplicationis instar sit. Quicumque autem, die festo Sanctae Elisabethae, templum ab Ordinario loci designatum adierint, ibique peccatorum confessione rite abluti Sancta de altari reverenter libaverint, remque christianam Deo religiose commendaverint, eisdem concedimus, ut plenariam de admissis suis veniam impetrent. Postremo Episcopis omnibus Hungariae, qui eo ipso festo die Sacrum pontificali ritu facturi sunt, ut, Sacro peracto, nomine et auctoritate Nostra benedicant populo, libenter permittimus. Auspicem interea divinorum munerum, ac testem singularis Nostrae benevolentiae, vobis, dilecti Filii Nostri et Venerabiles Fratres, atque Hungariae universae Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXVIII Septembris anno MCMVII, Pontificatus Nostri quinto.

PIVS PP. X

DECRETUM

SACRAE CONGREGATIONIS CONSISTORIALIS
DISMEMBRATIONIS
DIOECESVM GOYASENSIS ET ADAMANTINAE
IN BRASILIANA REPVBLICA
ET ERECTIONIS NOVAE DIOECESIS DE VBERABA

—

Romani Pontifices, quibus nihil antiquius quam ut christiana res uberiora in dies ubique terrarum incrementa suscipiat, nimis amplas dioeceses, in quibus unius Pastoris ministerium difficile evaderet, pro rerum temporumque adiunctis dismembrare semper consueverunt. Indubium enim quidem est, pastorale munus eo fructuosius geri, quo facilior fiat fidelium ad Pastores accessus.

Eapropter cum compertum fuerit Goyasensis dioecesis in Brasiliana Republica territorium latius protendi quam ut unus Episcopus tot civium per universam eamdem dioecesim inhabitantium spiritualibus necessitatibus occurrere possit, maxime si attendatur in eadem dioecesi et presbyterorum copiam qui Episcopo in animarum cura gerenda adiumento esse possit deficere, et aborigenes adhuc inveniri qui idololatriae labe sunt infecti, cumque R. P. D. Duartes Silva, Goyasensis ipsius dioecesis Antistes, Apostolicam Sedem exoraverit, ut e suae dioecesis territorio tota illa pars seiungeretur, *Triangolo Mineiro* ob suam conformationem appellata,

quae civiliter ad Statum *Minas Geraes* vulgo nuncupatum pertinet, atque ex ea, certis quibusdam additis paroeciis Adamantinae dioecesis, de consensu tamen Adamantini ipsius Episcopi, nova constitueretur episcopalis Sedes, SSmus D. N. Pius PP. X, omnibus rei momentis sedulo et sollicito studio perpensis, de consilio S. R. E. Cardinalium, qui Negotiis ecclesiasticis extraordinariis expediendis praepositi sunt, votis Goyasensis Praesulis obsecundandum benigne censuit.

Quod igitur bonum, faustum felixque sit, Dei gloriae Religionisque incremento benevertat, Sanctitas Sua potestate utens Sibi et Apostolicae Sedi expresse reservata in Litteris Apostolicis, quarum initium *Ad Universas Orbis Ecclesias*, quinto Kalendas Maii anno Dñi MDCCCXCII datis, novam libere inducendi in Brasilianae Reipublicae dioecesibus finium circumscriptionem quandocumque id in Domino opportunum visum fuerit, e Goyasensis Ecclesiae territorio totam regionem *Triangolo Mineiro* vulgo appellatam separare atque ex ea et ex certis quibusdam Adamantinae dioecesis paroeciis infra designandis novam episcopalem Sedem, ex nomine civitatis eiusdem regionis *Triangolo Mineiro* principis de Uberaba nuncupandam, erigere decrevit, in eum qui sequitur modum.

I.

Primum itaque Beatitudo Sua de Apostolicae potestatis plenitudine e Goyasensi dioecesi eam partem seiunxit, quae ad Statum vulgo *Minas Geraes* nuncupatum pertinet atque *Triangolo Mineiro* appellatur, itemque ab Adamantina dioecesi paroecias separavit Urucucia seu Burity, Capin Branco seu Rio Preto, Paracatù, Alegres, S. Rita de Patos, Catinga,

Sitio de Abbadia, Canna Brava, Capâo Redondo, Sâo Româo, Formoso, Sâo Goâo do Pinduca appellatas; atque universum hoc territorium, ita divisum ac separatum, in novam erexit atque constituit dioecesim, de Uberaba, uti dictum est, nuncupandam, ubi novus Episcopus eiusque in perpetuum successores residere debebunt, omnesque incolas utriusque sexus sive laicos, sive clericos vel religiosos, non tamen exemptos, intra novi Episcopatus fines commorantes atque Ecclesias, Conventus, Monasteria, piae Instituta intra eosdem fines exsistentia, et alia quaecumque saecularia ac regularia beneficia ab ordinaria iurisdictione Antistitum dioecesium Goyasensis et Adamantinae atque ab omni iure Capitulorum et Canonicorum earumdem cathedralium Ecclesiarum perpetuo exemit, subtraxit, et novae episcopali Ecclesiae de Uberaba, eiusque futuro Antistiti pro suis territorio, civitate, dioecesi, Clero et populo, perpetuo supposuit ac subiecit.

II.

Nova proinde dioecesis iis qui sequuntur limitibus circumscribitur: ad Septentriones flumine, *Urucuia* vulgo nuncupato, ipsa continebitur; ad Ortum flumine quod a Sancto Francisco vocant; ad Meridiem vero montibus *Mariella* et *Canastra* appellatis et flumine cui nomen *Rio Grande;* ad Occasum tandem fluminibus *Paranahyba* et *Jacaré* et montibus *Geral das divisões.*

III.

Urbem autem, quae in supradicta hac regione princeps est, quaeque *Uberaba* vocatur, Sanctitas Sua in novae dioe-

cesis civitatem episcopalem erigi mandavit, cum omnibus iuribus, honoribus et praerogativis quibus ceterae in Brasiliana Republica exsistentes civitates pontificali Sede insignitae earumque cives fruuntur et gaudent.

IV.

Ecclesiam deinde in eadem civitate Sacratissimo Cordi Iesu sacram Beatitudo Sua in novae dioecesis cathedralem Ecclesiam, sub eodem titulo et invocatione constituere dignata est, et in ea Sedem et dignitatem episcopalem pro uno Episcopo, de Uberaba appellando, qui eidem Ecclesiae eidemque civitati et dioecesi praesit, Synodum convocet, et omnia et singula iura, officia et munia episcopalia habeat et exerceat cum suis Capitulo, mensa episcopali, ceterisque cathedralibus et pontificalibus insignibus, iurisdictionibus, praerogativis, privilegiis, honoribus, gratiis et indultis realibus, personalibus et mixtis, quibus ceterae in Brasiliana Republica exsistentes cathedrales Ecclesiae earumque Praesules, non tamen titulo oneroso aut peculiari indulto, gaudent et gaudere poterunt, de Apostolicae potestatis plenitudine erigere et constituere.

V.

Cum nova episcopalis Sedes de Uberaba eum in finem sit constituta ut fidelium intra eius ambitum degentium spiritualibus necessitatibus aptiori sit ratione in posterum consultum; cumque novae dioecesi, sicut et ceteris in Brasiliana Republica, nulla alia temporalia bona praesto sint nisi ea quae ex pia fidelium liberalitate provenient, minime dubitat Sanctitas Sua quominus fideles iidem opportuna suppedi-

taturi sint subsidia, quibus et novus Episcopus eiusque successores Episcopalis dignitatis decorem tueri valeant et divini cultus expensis, sacrorum Ministrorum sustentationi aliisque dioecesanis operibus provideatur: haec porro subsidia eadem Sanctitas Sua in novae dioecesis dotem seu mensam constituit et assignat.

VI.

Novus autem dioecesis de Uberaba Episcopus cathedrale Capitulum secundum canonicas leges ac praesertim Sacrosancti Tridentini Concilii decreta, ubi primum fieri poterit, constituendum curabit, servato Canonicorum numero, servatis iisdem Dignitatibus, quibus cetera Capitula cathedralia in Brasiliana Republica actu constant. Interim vero, donec Capitulum ipsum canonice erectum fuerit, Episcopus in praestantioribus suae dioecesis negotiis expediendis consilium sibi ex probatis ecclesiasticis viris assumat, eorumque prudentia utatur.

VII.

Cathedrali vero Capitulo, ubi primum fuerit legitime erectum, Sanctitas Sua facultatem concedit statuta, ordinationes et decreta, secundum canonicas sanctiones et Tridentini Concilii praescripta, de Ordinarii tamen consensu et adprobatione, conficiendi, eidemque privilegia omnia et iura tribuit, quibus reliqua cathedralia Capitula in Brasiliana Republica exsistentia iam fruuntur, iis tamen exceptis, quae aut oneroso titulo, aut peculiari indulto fuerint concessa.

VIII.

Clericorum quoque Seminarium, ex Tridentinorum Patrum ordinatione in quavis dioecesi constituendum, Sanctitas Sua, ubi primum fieri poterit, in nova hac dioecesi de Uberaba erigi iussit, in quo adolescentes in Ecclesiae spem alendi excipiantur et ad Ecclesiae disciplinam informentur, iis sapienti ac maturo studio constitutis legibus, quibus hac potissimum temporum calamitate religio in Deum morumque probitas foveatur, et sana doctrina tum philosophica tum theologica ex fontibus praesertim Angelici Doctoris hausta tradatur; cumque in Urbe Collegium Pium Latinum Americanum exsistat, ex quo praeclari ministri Dei et animarum rectores semper prodierunt, voluit Sanctitas Sua ut, quemadmodum ex aliis Brasilianae Reipublicae dioecesibus, ita et e dioecesi de Uberaba, secundum ea quae a plenario Americae Latinae Concilio, Romae anno MDCCCXCIX habito, statuta sunt, bini ad illud alumni sacris disciplinis erudiendi haud intermissa vice in posterum mittantur.

IX.

Mandavit Beatitudo Sua ut documenta omnia personas vel loca respicientia quae hucusque iurisdictioni tum Goyasensis tum Adamantini Episcopi respective subiecta fuerunt atque Consistoriali hoc Decreto sub novi Episcopi dioecesis de Uberaba regimine constituta sunt, a Cancellariis episcopalibus Goyasensi et Adamantina extrahantur et novi Episcopatus Cancellariae tradantur, in ea in posterum quam diligentissime servanda.

X.

Novam hanc cathedralem Ecclesiam ita erectam Sanctitas Sua suffraganeam constituit Sedis Metropolitanae Mariannensis, huiusque Archiepiscopi metropolitico iuri subiecit atque submisit.

XI.

In nova hac episcopali Ecclesia de Uberaba erigenda eiusque limitibus circumscribendis Sanctitas Sua Sibi et Apostolicae Sedi facultatem expresse reservavit novam eiusdem dioecesis dismembrationem seu circumscriptionem libere decernendi, quandocumque id in Domino opportunum visum fuerit, nullo in id Episcopi aut cathedralis Capituli consensu requisito, nullave attributa territorii compensatione.

XII.

Ea tandem omnia, quae res, iura et personas ecclesiasticas respiciunt, quarum in hoc Consistoriali Decreto expressa mentio facta non fuit, statuit Beatitudo Sua firma et rata, secundum canonicas leges et catholicae Ecclesiae disciplinam, manere debere. Si qua vero difficultas aut controversia, quoad praemissa, in posterum forte sit oritura, ea ad Apostolicam Sedem erit deferenda, quae, rebus accurate perpensis, prout de iure decernet.

XIII.

Episcopalem novam Ecclesiam de Uberaba Sanctitas Sua, attentis temporum rerumque adiunctis, in florenos auri de

Camera triginta tres cum tertia floreni parte taxari iussit, et huiusmodi taxam in libris Camerae Apostolicae de more describi.

XIV.

Ad praemissa demum exsequenda, SSm̃us D. N. deputari voluit R. P. D. Alexandrum Bavona, Archiepiscopum titularem Pharsalensem et in Brasiliana Republica Nuntium Apostolicum, cum facultatibus necessariis et opportunis etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quamcumque aliam personam in ecclesiastica dignitate constitutam, itemque definitive pronunciandi super qualibet oppositione in exsecutione peragenda quomodolibet oritura, iniuncta eidem obligatione intra sex menses ad Sacram hanc Congregationem Consistorialem authenticum exemplar exsecutionis peractae, debita forma exaratum propriaque manu subscriptum transmittendi, mandavitque praesens hisce de rebus fieri Consistoriale Decretum perinde valiturum ac si Litterae Apostolicae sub plumbo vel sub anulo Piscatoris super iisdem expeditae fuissent et inter acta referri Sacrae huius Congregationis Consistorialis.

Datum Romae hac die XXIX Septembris, anno Domini MCMVII.

Pro R. P. D. Secretario
Ivlivs Grazioli
S. C. Consistorialis et S. Collegii *Substitutus*.

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS

IN HONOREM BEATAE VIRGINIS MARIAE LAPVRDENSIS

INDVLGENTIA PLENARIA IN FORMA IVBILAEI CONCEDITVR

VNIVS ANNI SPATIO SEMEL LVCRANDA

—

PIVS PP. X

VNIVERSIS CHRISTIFIDELIBVS PRAESENTES LITTERAS INSPECTVRIS

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Summa Deus hominum miseratione motus, mirifica subinde facit, quibus Religionis veritatem adserendo, dum fidelium animos erigit eisque solatium affert, infirmis quoque corporibus medetur. Neque terrarum potentibus, qui sive opibus, sive humana scientia, sive etiam publicis muneribus elati, fidem saepe vel despiciunt, vel ei pro viribus adversantur, sed simplicibus filiis suis et haud raro parvulis arcana Dominus revelat. Ita quidem Lapurdi in Galliis evenit, ubi quinquaginta abhinc annis per sequestrem Virginem divina misericordia manifeste apparuit. Cum enim Deipara labis nescia humili puellae in crypta, quae prope illud oppidum patet ac vulgo *de Massabielle* nuncupatur, sese pluries conspiciendam obtulisset, et ipsam atque homines universos esset poenitentiam agere hortata, caelestem hunc visum omnigenis gratiis prodigiisque confirmavit. Unde factum est,

ut ad perpetuam portenti memoriam templum, divite ornatu decorum, ibi extrueretur, Minoris deinde Basilicae titulo ac privilegiis locupletatum, quo cum pariter atque ad Cryptam frequentissimus omni tempore et ex omni natione populi concursus celebraretur, Pietatis Matris imploraturi ac saepe exorantis opem, felix illa civitas unum nunc e maximis orbis Sanctuarium, catholicae veritatis testimonium, possidet ac tuetur. Verum cum propediem quinquagesimus agatur annus, a quo ob tam mirificum factum cultus erga Deiparam Virginem sine labe conceptam eiusque Sanctissimum Rosarium magis magisque in dies auxerit, Nos quo insignis huiusmodi miraculi commemoratio in uberius animarum bonum cedat, spirituales Ecclesiae thesauros, quorum dispensatores, licet indignos, Nos Altissimus esse voluit, libenti quidem animo reserandos censuimus. Quare omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus qui, vere poenitentes et confessi ac Sacra Communione refecti, Cryptam, quam supra diximus, civitatis Lapurdensis intra fines Tarbiensis dioeceseos, uno anni die, ad cuiusque fidelium arbitrium eligendo, a die XI Februarii, primae Deiparae Virginis Apparitionis anniversario, proximi anni MDCCCCVIII usque ad diem pariter Februarii undecimum insequentis anni MDCCCCIX devote visitaverint, ibique ante Deiparae imaginem ab origine Immaculatae, pro Christianorum Principum concordia, haeresum exstirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, Plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, quam etiam animabus Christifidelium quae Deo in caritate coniunctae ab hac luce migraverint per modum suffragii applicari posse, in

forma Iubilaei concedimus ac largimur. Quo autem Christifideles caelestium huiusmodi munerum facilius participes fiant, Venerabili fratri ipsi Episcopo Tarbiensi facultatem facimus aliquot in sua dioecesi presbyteros saeculares, vel cuiusvis Ordinis, Congregationis et Instituti regulares, ad Sacramentales confessiones excipiendas iam adprobatos, deputandi, qui fausta praedicta occasione eosdem Christifideles ad Iubilaeum lucrandum, eorum confessionibus diligenter auditis, ab omnibus censuris et casibus Sedi Apostolicae reservatis, imposita cuilibet arbitrio suo poenitentia salutari, in foro conscientiae tantum absolvere possint, servata tamen Constitutione « *Pontifices Maximi* » a rec. me. Leone XIII Decessore Nostro, die XV mensis Februarii anno MDCCCLXXIX data, iis vero omnibus exceptis, quae in eadem Constitutione excipienda praescribuntur. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXVII Novembris MCMVII, Pontificatus Nostri anno quinto.

L. ✠ S.

R. CARD. MERRY DEL VAL,
a Secretis Status.

DECRETVM

SACRAE CONGREGATIONIS CONSISTORIALIS
DISMEMBRATIONIS ET VNIONIS PAROECIARVM
IN DIOECESIBVS DE GVADALAJARA ET DE AGVAS CALIENTES
IN MEXICANA REPVBLICA

Litteris ad Apostolicam Sedem die xv Novembris anno MCMIV datis, R. P. D. Iosephus Maria a Iesu Portugal, dioecesis de Aguas Calientes Episcopus, obsequiose exposuit, dioecesim eamdem sex tantum constare paroeciis, in iisque insuper tam paucos numerari Sacerdotes, ut fidelium necessitatibus vix sufficiant. adeo ut cathedrale ipsum Capitulum constitui hactenus non potuerit, ne paroeciae suis rectoribus orbarentur. Ratus proinde idem Antistes fore ut, protensis dioecesis eiusdem de Aguas Calientes finibus, numerum quoque augeri contingat presbyterorum, qui et spirituali fidelium saluti curandae dent operam, et aliis dioecesis muneribus officiisque inserviant, SSmum D. N. Pium PP. X humiliter exorat, ut e finitimae Archidioecesis de Guadalajara territorio certas quasdam paroecias Apostolica auctoritate seiungere vellet, easque unire episcopali Ecclesiae de Aguas Calientes.

Hac vero super re, sententia prius, uti par erat, exquisita fuit R. P. D. Iosephi de Iesu Ortiz, Metropolitanae Ecclesiae de Guadalajara Archiepiscopi, qui, Metropolitano audito Capitulo, se graves ob causas votis Antistitis dioecesis de Aguas Calientes accedere non posse declaravit, remque Apo-

stolicae Sedis iudicio submisit. Quamobrem R. P. D. Iosepho Ridolfi, Archiepiscopo tit. Apamensi et in Mexicana Republica Delegato Apostolico, demandare opportunum visum est ut de huiusmodi negotio accurate videret, ac vota, si fieri possit, utriusque Praesulis componenda curaret. Res quidem Apostolico Delegato bene cessit; eius namque opera id assequi datum est, ut Archiepiscopus archidioecesis de Guadalajara paroecias *Ojuelos* et *Paso de Sotos* vulgo nuncupatas, se libenter dioecesi de Aguas Calientes cessurum sponderet.

Cum autem de hisce omnibus per me infrascriptum Sacrae Congregationis consistorialibus rebus expediendis praepositae Substitutum accurata relatio Sanctitati Suae facta fuerit, eadem Sanctitas Sua, cunctis quae consideranda erant mature perpensis, propositam paroeciarum separationem firmare ratamque habere decrevit. De Apostolicae itaque potestatis plenitudine, Beatitudo Sua, suppleto, quatenus opus sit, quorumcumque in hac re interesse habentium vel habere praesumentium consensu, paroecias cui nomen vulgo *Ojuelos* et *Paso de Sotos,* cum omnibus et singulis in iisdem exsistentibus et commorantibus, a territorio Metropolitanae Ecclesiae de Guadalajara separavit et divisit, easdemque pariter, ut supra, cum omnibus et singulis in ipsis exsistentibus et commorantibus, territorio cathedralis Ecclesiae de Aguas Calientes adiunxit et univit, ita ut in posterum supradictae paroeciae iurisdictioni Episcopi de Aguas Calientes pro tempore sint addictae, prout hactenus iurisdictioni Metropolitani Archidioecesis de Guadalajara subiectae fuerunt.

Hanc vero paroeciarum separationem ita exsequendam voluit Sanctitas Sua, ut presbyteris in earum territorio resi-

dentibus detur optio eligendi intra tempus ab Exsecutore infra designando statuendum, quanam in dioecesi suum figere velint domicilium. Si qui proinde inter eos in Archidioecesi de Guadalajara permanere malint quam in aliam dioecesim transire de Aguas Calientes, id ipsis sit licitum. Documenta demum paroecias easdem vel personas in ipsis commorantes respicientia, eadem Sanctitas Sua ab una in aliam Cancellariam, dioecesis nempe de Aguas Calientes, transferri mandavit cum clausulis necessariis et opportunis. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Ad praemissa autem exsequenda Sanctitas Sua deputari iussit R. P. D. Iosephum Ridolfi, Archiepiscopum tit. Apamensem et in Mexicana Republica Delegatum Apostolicum, cum facultatibus necessariis et opportunis etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quamcumque aliam personam in ecclesiastica dignitate constitutam, nec non definitive pronunciandi super qualibet oppositione in exsecutionis actu quomodolibet oritura, iniuncta eidem obligatione intra sex menses peractae exsecutionis exemplar, authentica forma exaratum, propriaque manu subscriptum, ad Sacram hanc Congregationem transmittendi, et praesens hisce super rebus edi mandavit Consistoriale Decretum perinde valiturum ac si Litterae Apostolicae sub plumbo vel sub anulo Piscatoris super iisdem expeditae fuissent, et Decretum ipsum inter acta referri Sacrae huius Congregationis Consistorialis.

Datum Romae hac die xxx Novembris, anno Domini MCMVII.

Pro R. P. D. Secretario
Ivlivs Grazioli
S. C. Consistorialis et S. Collegii *Substitutus.*

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS

VICARIATVS APOSTOLICVS DE SASKATCHEWAN

PROVINCIAE ECCLESIASTICAE S. BONIFACII IN DITIONE CANADENSI

IN DIOECESIM ERIGITVR

A PRINCIPE ALBERTO APPELLATAM

—

PIVS PP. X

AD FVTVRAM REI MEMORIAM

Quae rei sacrae procurationi melius gerendae facere possunt, ea ut sedulo studio praestemus Nos monet Supremi Apostolatus officium, quod Nobis, licet immeritis, Altissimus commisit. Iamvero quum Vicariatus Apostolicus de Saskatchewan, provinciae ecclesiasticae S. Bonifacii in ditione Canadensi, laeta postremis hisce annis, aucto feliciter Catholicorum numero, Religionis incrementa susceperit, Nos, collatis consiliis cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, Vicariatum ipsum Apostolicum in Dioecesim erigendum censuimus. Quae cum ita sint, omnes et singulos quibus Nostrae hae Litterae favent peculiari benevolentia complectentes et a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, Motu proprio atque ex certa

scientia et matura deliberatione Nostris et de Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium vi Vicariatum Apostolicum de Saskatchewan provinciae ecclesiasticae S. Bonifacii in ditione Canadensi, cum actuali unde constat territorio, in Dioecesim erigimus, episcopalem Sedem constituentes in civitate cui vulgo nomen *Prince-Albert,* atque idcirco Principis Alberti nomen eidem novae dioecesi adsignamus. Decernentes praesentes Litteras firmas, validas, et efficaces semper exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque illis ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum esse et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque, quamvis speciali atque individua mentione et derogatione dignis, in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die II Decembris MCMVII, Pontificatus Nostri anno quinto.

L. ✠ S.

R. CARD. MERRY DEL VAL,
a Secretis Status.

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS

ABBATIA NVLLIVS B. MARIAE VIRGINIS DE MONTESERRATO

IN REGIONE BRASILIANA

ERIGITVR

—

PIVS PP. X

AD FVTVRAM REI MEMORIAM

Ad summum Sacerdotii fastigium, licet immerentes, divina Providentia evecti, Nostri muneris esse ducimus ita Ecclesias, cum eae praesertim nimis late pateant, constituere, ut aeternae dominici gregis saluti satius prospici queat. Cum vero territorium, vulgo *Rio Branco* nuncupatum ac iurisdictioni Episcopi de Manaos seu Amazonum in regione Brasiliana et Provincia Ecclesiastica Belemensi de Para, tamquam pars ipsius dioeceseos, subiectum, extensius sit quam ut in praesenti rerum statu fidelium atque infidelium necessitatibus providere possit, cumque spes affulgeat, pulchros ibi, multiplicatis in vinea Domini operariis, colligendi fructus; Nos omnibus rerum adiunctis cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus S. Congregationi extraordinariis ecclesiasticis negotiis praepositis undequaque perpensis, ad maiorem Dei gloriam, et ad animarum saluti facilius prospiciendum, Motu proprio et ex certa scientia ac matura deliberatione Nostra, praedictum

territorium vulgo *Rio Branco* Apostolica Auctoritate Nostra, praesentium tenore a dioecesi de Manaos seiungimus, ac spirituali iurisdictioni Abbatis pro tempore B. M. V. de Monteserrato in civitate Fluminis Ianuarii Ordinis S. Benedicti subponimus, his sequentibus clausulis et conditionibus, videlicet: I. Dictum territorium *Rio Branco* sic delimitatur, scilicet; seiungitur a dioecesi de Manaos universa regio, quae adiacet ex utraque parte flumini *Rio Branco* quaeque ad Nord-Ovest habet Rempublicam de Venezuela, ad Nord-Est Goyanam Anglicam, ad Sud vero lineam divisionis aquarum, quae ab utraque parte ad flumen *Rio Branco* descendunt, usque ad iunctionem eiusdem fluminis cum flumine vulgo dicto *Rio Negro.* II. Abbas praelaudatae Abbatiae B. M. V. in Civitate Fluminis Ianuarii, tamquam Ordinarius huius descripti territorii de *Rio Blanco,* Abbas Nullius haberi debet, omnibusque iuribus et facultatibus gaudere, quae Abbatibus Nullius competunt. Privilegio S. Confirmationis Sacramentum suis subditis administrandi fruetur. III. Quum ob munus Abbatis et etiam Abbatis Generalis Sedi Fluminensi Abbatiali adnexum adimplendum, residentia Abbatis Ordinarii in territorio *Rio Branco* habitualiter haberi non possit, eidem licentiam de Apostolica indulgentia Nostra concedimus residendi non solum habitualiter in Abbatia sua sed etiam per aliquam anni partem in aliis Monasteriis Congregationis Brasiliensis, prout opus erit et ipse in Domino utile iudicaverit, ita tamen ut, quoties prudenter fieri poterit, territorium *Rio Branco* saltem ex parte perlustret. Illi insuper potestatem damus sibi e suis Monachis Vicarium Generalem instituendi, qui supradictum territorium ad nutum Abbatis Ordinarii, illo absente, guber-

net, et duobus adiunctis consultoribus, in supradicto territorio una cum iisdem consultoribus residentiam habere debebit, ut sacerdotum et fidelium necessitatibus semper praesto esse queant. IV. Curae animarum in praedicto territorio vacabunt, iurisdictioni praelaudati Abbatis Nullius subiecti, Monachi Ordinis S. Benedicti Congregationis Brasiliensis, quos, consentientibus Monasteriorum Abbatibus, ad id munus Abbas Generalis, nempe Abbas Fluminis Ianuarii, destinaverit. Insuper ut necessaria sacerdotum copia in posterum facilius habeatur, dicti Monasterii Abbas Seminarium apud suum Monasterium Fluminis Ianuarii instituat, ut sibi clerum saecularem, Ordini S. Benedicti aliquo modo affiliatum, educare et formare valeat. Quod quidem Seminarium eiusque alumni, professores aliique in ipso diu noctuque residentes, eodem exemptionis privilegio perfruentur, quo ipsum Monasterium eiusque Monachi gaudent, iuxta canonica praescripta. V. Pluries memorati Monasterii Abbas, tamquam Ordinarius territorii *Rio Branco* et pro ipso territorio, Abbatis vere Nullius appellatione gaudere potest et debet, cum iure proinde et onere Conciliis Provincialibus, aliisque Episcopalibus coetibus adsistendi quae a Venerabilibus Fratribus Ordinariis Provinciae Ecclesiasticae Belemensis de Para in posterum celebrari contingat. Cuius tituli et dignitatis externum signum erit pileolus et birretus violacei coloris, quibus alii Ordinis Benedictini Abbates Nullius utuntur. VI. Denique si temporis processu, pro maiori Dei gloria et animarum salute, praedictum territorium dividi oporteat, ita ut nova in ipsius confinibus erigatur dioecesis, iurisdictioni alicuius Episcopi subiecta, pars huius territorii *Rio Branco,*

illa scilicet quae se extendit ultra ripam dexteram dicti fluminis *Rio Branco*, semper atque in perpetuum sub iurisdictione Ordinis S. Benedicti manebit, sive ibi erigatur in ipso territorio nova Abbatia Nullius, sive hoc territorium sub iurisdictione Abbatis Nullius Monasterii Fluminis Ianuarii in perpetuum maneat. Non obstantibus Constitutionibus et Sanctionibus Apostolicis, ceterisque omnibus etiam speciali et individua mentione ac derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die x Decembris MDCCCCVII, Pontificatus Nostri anno quinto.

L. ✠ S.

R. CARD. MERRY DEL VAL,
a Secretis Status.

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
VICTORI LVCIANO S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI LÉCOT
ARCHIEPISCOPO BVRDIGALENSI
BVRDIGALAM

—

PIVS PP X

DILECTE FILI NOSTER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Solemnia sacra, quae in mensem Februarium proximum apparantur ad oppidum *Lourdes,* anno exeunte quinquagesimo, ex quo Immaculata Dei Mater mire se illic conspiciendam dedit, etsi audimus magnis piorum studiis celebratum iri, eorum tamen celebritatem Nostra quoque augendam auctoritate ducimus. Etenim, quoniam hoc toto tempore maxima et innumerabilia in salutem populi christiani beneficia e Lourdensi specu manarunt, ut ibi Beatissima Virgo tamquam fontem benignitatis misericordiaeque suae statuisse videatur, sane decet ad ea ipsa recolenda pietati communi Nostram antecedere, Nosque apud augustam Ecclesiae Parentem quasi interpretes gratiae publicae exsistere. Itaque cupimus, ut in eis agendis solemnibus personam Nostram ipse geras; atque his te litteris Legatum Nostrum renuntiamus, hoc addito, ut post Pontificale Sacrum, nomine Nostro,

benedicas populo: cui benedictioni quotquot intererunt, modo criminum confessione abluti Sancta de altari libaverint, iis damus, ut plenariam de admissis suis veniam impetrent. Tibi autem, dilecte Fili Noster, auspicem divinorum munerum ac testem peculiaris benevolentiae Nostrae, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXIV Decembris anno MCMVII, Pontificatus Nostri quinto.

PIVS PP. X

EPISTOLA

DILECTIS FILIIS
DOCTORIBVS COLLEGIATIS ET MAGISTRIS
SACRAE THEOLOGIAE ET PHILOSOPHIAE CHRISTIANAE TRADENDAE
IN SEMINARIO PROVINCIALI CALARITANO

—

PIVS PP. X

DILECTI FILII
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Nobis quidem dubium non erat, quin Nostras de Modernistarum doctrinis Encyclicas Litteras ita vos accepissetis, quemadmodum deceret homines, qui magisterium auctoritatemque Ecclesiae, ut oportet, reverentur. Sed tamen magnopere Nos delectant, quae communiter ad Nos perscribitis, cum de vestra erga Apostolicam Sedem observantia et fide, tum de ratione disciplinae vestrae omnino ad Romanam regulam exacta, tum maxime de vestra studii plena voluntate obsequendi praescriptis Nostris, ut ab hac errorum peste alumnos sacri ordinis, qui vobis crediti sunt, sinceros et incolumes praestetis. Quare nihil est, quod vos hortemur in hac causa: ipsi probe perspicitis, integritatem doctrinae in Clero cum Ecclesiae incolumitate esse coniunctam. Eam igitur officii diligentiam, quam ostenditis Nobisque pollicemini, numquam vos remissuros confidimus. Curae autem industriaeque

vestrae optimos det exitus, precamur, divina benignitas: cuius auspicem munerum ac testem simul benevolentiae Nostrae, vobis, dilecti Filii, discipulisque vestris Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXI Ianuarii MCMVIII, Pontificatus Nostri anno quinto.

PIVS PP. X

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS

VENERABILIS DEI FAMVLA MARIA MAGDALENA POSTEL

SORORVM SCHOLARVM CHRISTIANARVM A MISERICORDIA

FVNDATRIX

BEATAE NOMINE ET HONORIBVS DECORATVR

—

PIVS PP. X

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Christiani nominis dum nullo quidem tempore acerrimi desunt insectatores, qui ad catholicam fidem radicitus ex Orbe divellendam, eius institutionem a scholis seiungere conentur, misericors Deus Sanctos suos identidem excitavit, qui pueris excolendis pro viribus addicti, initium sapientiae timorem esse Domini perspicue demonstrarent. Quod cum multifariam, tum praesertim in Galliis evenit. Nam ibi, quum saeculo duodevicesimo nonnulli prodiissent qui, se philosophos iactantes, omnigenas doctrinas in ipsum doctrinae fontem ac principium obiicerent, complures, Deo favente, item orti sunt qui, divina scientia pariter ac non fucato hominum amore praestantes, luculenter ostenderent, in religione simul cum veritate salutem contineri. Hos inter sane comperimus inclaruisse Venerabilem Dei Servam Mariam Magdalenam Postel, illius Instituti Conditricem, cuius religiosae sorores, quae

Scholarum Christianarum a Misericordia dicuntur, tum erga infirmos, tum potissimum erga puellas instituendas priora in Galliis beneficia novis ubique cumularunt. Nata est haec Venerabilis Dei Serva Barflorei, Galliarum oppido, IV Kal. Dec. anno salutis MDCCLVI a Ioanne Postel et Teresia Levallois, piis honestisque parentibus. Cum vero ipso in ortu eius vita periclitaretur, statim sacro baptismate abluta, eodem exinde die Iulia Francisca Catharina rite est in templo vocata. Adhuc puerula summo in Deum amore conspiciebatur, et cum sacras aedes adiret, ibique effunderet preces, tam singularem modestiam praeseferebat, ut quasi angelus in divina abreptus videretur. Pueriles nugas ac solatia abhorrens, praeterquam quod arulis tantum instruendis exornandisque oblectabatur, de divinis etiam rebus aequales alloqui, et eos cathechesim, quam diligenter memoriae complecteretur, docere potius habebat. Neque ei minor inerat erga pauperes benignitas, nam suos usque calceolos ipsis donavit, nudibus pedibus domum rediens, humilis semper et humanitate plena, ut omnes eam parvam sanctam esse censerent, et hoc nomine praedicarent. Peculiaris Iuliae consuetudo fuit, magna laetitia efferri ac gestire, cum horrida aliqua cooriretur tempestas, quae crebris fulguribus magnoque tonitruum fragore vel impavidos homines terreret; et aliquando de causa tam inusitati moris interrogata, gaudere se, respondit, quod procellae tempore Deus non offenderetur, quin immo prae metu homines admissorum poeniteret, seque numquam in posterum lapsuros promitterent. Peccatum quantum Iulia horruerit, patuit in singulari militum certamine, eius ante oculos indicto; nam pugnantium advoluta genibus, et ostenso Crucifixo, tam

enixe eos a sanguine dehortata est, ut ii, stupentibus omnibus, odium amore commutarent. Huc accedit, quod etsi e pueris nondum excesserit, victu et cultu tam aspero utebatur, ut eius conscientiae rector opportunum duxerit ipsam moderari. Praeterea cum matrem Sancta de Altari libantem subinde sequeretur, tanto studio flagrabat se caelesti convivio recreandi, ut vix novem annos nata, quamvis per aetatem non liceret, tamen ad S. Synaxim admittenda fuerit, quam ex eo faustissimo nullo unquam vitae die celebrare praetermisit. Sub idem tempus se totam Deo pro hominum salute voto obstrinxit, ex quo tam laeti uberesque fructus usque adhuc percipiuntur. Virginibus deinde ex Ordine S. Benedicti Valloniis excolenda tradita, ibi pariter tantam redoluit sanctimoniam, quippe quae ceteris omnibus praeclarisque virtutibus rigidam regularum coniungeret observantiam, ut *filia boni Dei* una voce appellaretur. Sexennio autem elapso, tum divinae providentiae consilio tum parentum desiderio domum rediit, ibique in paternis aedibus scholam aperuit puellis instituendis. Mirari hic licet, quanta cura et sapientia Venerabilis Dei Famula hoc obierit munus, in quo eius religio et caritas, dulci morum suavitate cumulatae, mirifice fulserunt. Puellis enim vel inopia vel orbitate laborantibus imprimis exceptis, eas non modo studiorum primordiis, sed muliebribus quoque operis erudiebat, atque ita ad rem familiarem administrandam comparabat, ut hae matresfamilias in exemplum evaderent. Ex eius ore verba vitae exibant, quae cum audirent alumnae, magistram, ut ipsas ad alloquendas diem produceret, ingenue hortabantur. Merito igitur Iulia Postel S. Ioanni Baptistae de la Salle aequata fuit, cuius frugiferum pro pueris insti-

tutum suo pro puellabus opere complevit. His laboribus adde ieiunia fere numquam polluta, somnos super nudis assibus constanter captos, eosque saepenumero propter preces abruptos, innocens et fragile corpus ferreis aciebus excruciatum, et haec omnia tanta animi demissione coniuncta, ut communis ferret opinio, Christianae perfectionis apicem Iuliam attigisse. Sed Venerabilis Dei Servae fortitudo magis magisque in Gallica humanarum divinarumque rerum eversione eluxit, cum Sacerdotes ad iusiurandum adigerentur. Qui enim illud reiecerint, hos extorres et in excidium quaesitos Iulia magno cum capitis discrimine abscondit ac tuetur: domi suae, facta potestate, sacram supellectilem abdit, et Sacramentum Augustum, novo perfusa gaudio, adservat; catechesim praeterea omnes docet: pueros mystici epuli expertes ad hoc ineundum comparat; virili denique pectore laborat, ut morituri Sacrae Eucharistiae viatico muniantur. Ab ea cerneres Dominicum Corpus, ante quod orando noctes ageret, industria cum generositate iniuriis prohiberi, eamque immortaliter laetari, quod simili Deiparae fortuna, sibi Iesum in ulnis gestare contigisset. Quocirca optimo iure Virgo-Sacerdos appellata est, nam usque eo dum religionis cultus per scelus vexatus et praepeditus fuit, ad sacrum fidei ignem custodiendum assidue advigilavit. Ubi vero fere decennio post teterrima ea conquievit tempestas, Iulia ob Sacerdotum penuriam Evangelii praeconis munus suscepit, et qua erat sacrae doctrinae peritia atque incenso salutis animarum studio, debiles excitando fortesque firmando, novam admirationem sui omnibus iniecit. Cui, quum se humillima Dei Serva subducere vellet, mestis civibus consalutatis, ex natali oppido Caesaroburgum

venit. Praetereundum non est, quamdam puellam, primum se in mortis lectulo Sacro convivio reficientem, Iuliae ante hunc discessum praecipuos vitae eventus vaticinatam esse, quos, cum in eius mente constanter insedissent, plene vidit posthac comprobari. Cum igitur Caesaroburgi ad SS. Trinitatis se caelesti pabulo recreaturam contulisset, Aloisio Cabart, Sacerdoti virtutibus insigni, consilium instituendae Societatis patefecit, quae iuventutem pietatis laborisque imbueret amore, atque egenos et miseros iuvaret. Et interrogata quibusnam subsidiis se id assecuturam speraret, *manuum opere* divino quodam afflatu concitata respondit. Constantiensis inde Episcopi freta suffragio, anno MDCCCVII, die Mariae nascenti sacro, simul cum tribus sociis vota nuncupavit, nomenque sibi Mariae Magdalenae imposuit. Quo quidem sanctae illius mulieris, quae multum dilexit, nomine, non modo suum in Christum amorem significare voluit, sed quamvis innocens esset, culpas expiandi desiderium. Ita haec Dei Serva sinapis sevit granum, quod licet sexcentis oppressum adversis, tandem in arborem succrevit, et suos ramos longe lateque diffudit. Incredibile est enim dictu, quot quantisque angustiis pauperes haec Filiae Misericordiae suam inierint provinciam. Pane unico cibo vesci, aqua tantum sitim explere, super stramento paullisper obdormire, ac reliquam noctem in labore pervigilare, eaque tamen omnia placide ferre, id unice spectantes, quod animas Deo lucrarentur. In quibus omnibus Maria Magdalena sororibus exemplo praecessit, et per finitima oppida peregre cum eis proficisci coacta, neque in stabulis, neque in casis commorari recusavit, gaudio nimirum exsultans, quod ita Infantem Iesum sibi liceret imitari. Constantis animi

mulier quinque sororum ex undecim morte a proposito non deterretur; piis ipsis viris, qui huiuscemodi Sodalitatem, quasi divino favore destitutam, solvendam censerent, non consentit; se suaque omnia arbitrio Dei permittit, et Crucem arctius complexa, potiores sibi poenas ab Eo continenter implorat. Suum enim fuit institutum: hominibus quam maxime in Christo prodesse, seque eos omni studio celare. Ex quo factum est, ut si alicubi Venerabilis Mater scholas iam ductas invenisset, statim e quavis contentione vehementer abhorrens, puellas orbas erudire ac populum ad Christianae vitae decus adhortari satis haberet. Sanctae igitur Foeminae, quae tantum Deo confideret, seque tam submisse gereret, exspectatum solatium deesse non poterat. Loci revera, qui vulgo *Tamerville* audit, optimates, eximiis Mariae Magdalenae dotibus permoti, eam ad scholas habendas arcessunt, eique vetus monasterium incolendum tradunt. Tunc semper magis effulsit Venerabilis Dei Servae animi demissio, nam licet duos et sexaginta annos nata, tamen in legis obsequium periculum facere non refugit, ut ad docendum idonea iudicaretur. In hoc oppido diu commorata, praeclarissima pietatis ac sollertiae praebuit exempla, utpote quae catecheseos dissertationibus institutis, ac pia Mariani mensis exercitatione inducta, frequentes ad populum sacras habuerit conciones. Sed latior ei patuit laborum campus; anno enim MDCCCXXXII, die festo S. Teresiae, quacum pientissimae Matris vita ac sanctimonia iure conferri potest, principe Sodalitatis domo in vetusto Benedictinorum coenobio oppidi S. Salvatoris *Le-Vicomte* constituta, ibique orphanis exceptis, publicas aperuit scholas in exemplum habitas ac reipublicae rectorum laudibus hone-

statas. Sacra tunc auctoritate eaedem leges eius familiae regendae latae sunt, quae Ioannis Baptistae la Salle institutum moderabantur, iisque Venerabilis Mater ea obedientia, quam in deliciis habuit, acceptis, sibi uni impetravit, ut asperiore qua antea vita uteretur, ac sibi pariter fas esset, prope tabernaculum Sacramentum augustum adorare. Postea anno tirocinii expleto ac sub pietatis magistro religioni opera data, Sorores Scholarum Christianarum a Misericordia, die S. Matthaeo Apostolo sacro, anno MDCCCXXXVIII propositas regulas acceperunt, ac sibi veste ex praescripto induta, vota perpetua solemniter renovarunt. De exantlatis a Venerabili Matre laboribus, illustris Coenobii veteres aedes instauratae, ac praecipue dilapsum templum, in pristinum splendorem per eam restitutum, adhuc civibus et advenis loquuntur. Heroica illa mulier, etsi quartum et octogesimum suae aetatis ageret annum, prima suis ipsius manibus rudera purgavit, amotos lapides in ordinem disposuit, atque ita omnium animos ad opus erexit, ut sperare licuerit, hoc brevi absolutum iri. Virgo igitur Sanctissima, cuius per diuturnum vitae cursum angelica puritas ne levissimis quidem nubeculis obscurata fuit, et quae omnium sententia ad perfectionis fastigium pervenerat, suis innumeris meritis hoc quoque adiecit, quod templum Domini, gravibus impedimentis invicto animo superatis, instaurandum curaverit. Itaque non miramur Deum tantas suae dilectae laudes supernis etiam donis rependisse. Occulta enim saepe detexit, intimas hominum latebras scrutata, ad bonam frugem eos revocavit, futura praenovit, ac non semel sopitis sensibus in Deum rapta et caelesti luce circumdata visa fuit. At Venerabili Matri instabat iam supremus

ab ipsa praenuntiatus dies, quo suis erat abripienda et inter beatos Caelites cooptanda. Septimo enim decimo Kal. Augustas anno MDCCCXLVI, aetatis suae nonagesimo, qua hora Christus spiritum emisit, Sacramentis refecta, candidae instar columbae ad superos evolavit. Religiosae eius sorores, tunc ad centum et quinquaginta, hanc gloriosam Conditricis mortem diu lacrimarunt, hoc uno acquiescentes solatio, quod si in terris teneram matrem amiserint, potentem in caelum haberent patronam; idque adeo sibi erat persuasum, ut potius quam ei requiem, suas quaeque ab ea gratias imploraret. Sanctum illius corpus, quod omnes intueri et osculari cupiebant, biduo expositum fuit, atque inde celebri hominum concursu, eius os lumine circumfusum admirantium, in templum prope tabernaculum elatum, et floribus opertum. Ex eo igitur tempore, cum sanctitatis fama in dies augeretur, ob caelestia quoque prodigia quibus Deus eam confirmasse tradebatur, illius Beatificationis et Canonizationis causa penes Sacrorum Rituum Congregationem agitari coepta est, ac probationibus iuridice sumptis riteque expensis, rec. me. Leo Papa XIII Dec. Noster Pridie Kal. Iunias anno MDCCCCIII Mariae Magdalenae Postel virtutes heroicum attigisse gradum sollemni decreto sancivit. Deinde quaestio de miraculis suscepta est, quae ipsa intercedente a Deo patrata ferebantur, ac rebus omnibus severissimo iudicio ponderatis, cum tria ex illis vera et explorata iudicata fuerint; Nos alio decreto, XII Kal. Sextiles superioris anni edito, de eorum veritate constare suprema auctoritate Nostra declaravimus. Illud tantum supererat discutiendum, num Venerabilis Dei Serva inter beatos Caelites recensenda foret. Quod dubium propositum est a

dilecto Filio Nostro Dominico S. R. E. Card. Ferrata causae Relatore, in comitiis generalibus coram Nobis habitis VI Kal. Dec. superioris pariter anni, et in quibus omnes qui aderant, tum Cardinales tum Ss. Rituum Consultores, unanimi consensu affirmative responderunt. Nos tamen in re tanti momenti Nostram aperire mentem distulimus, donec fervidis precibus a Patre luminum subsidium posceremus. Quo facto, tandem, die auspicatissimo Dominae Nostrae Mariae labis nesciae sacro, adstantibus Cardd. Seraphino Cretoni, Sacrorum Rituum Congregationis Praefecto, et Dominico Ferrata, causae Relatore, nec non Venerabili Fratre Diomede Panici Archiep. Laodicensi, eiusdem Congregationis Secretario, et Rev. Patre Alexandro Verde, Sanctae Fidei Promotore, auctoritate Nostra pronunciavimus, tuto procedi posse ad sollemnem Venerabilis Dei Servae Mariae Magdalenae Postel Beatificationem. Quae cum ita sint, plurimorum Venerabilium Fratrum Nostrorum Antistitum et universae familiae Sororum Scholarum Christianarum a Misericordia vota implentes, Apostolica auctoritate Nostra praesentium tenore facultatem facimus, ut Venerabilis Dei Serva Maria Magdalena Postel, eiusdem familiae Fundatrix, Beatae nomine in posterum nuncupetur, et eius corpus et lipsana, seu reliquiae, non tamen in sollemnibus supplicationibus deferendae, publicae venerationi fidelium proponantur, atque imagines radiis decorentur. Praeterea eadem Apostolica auctoritate Nostra concedimus, ut de illa recitetur Officium, et Missa celebretur singulis annis de communi Virginum cum orationibus propriis, per Nos approbatis, iuxta rubricas Missalis et Breviarii Romani. Huiusmodi vero officii recitationem Missaeque celebrationem fieri dumtaxat

concedimus in Dioecesi Constantiensi et Abrincensi, itemque omnibus in templis et sacellis, quibus ubique terrarum utitur Institutum Sororum Scholarum Christianarum a Misericordia, ab omnibus qui horas canonicas recitare teneantur; et quod ad Missas attinet, ab omnibus Sacerdotibus tum saecularibus tum regularibus ad Ecclesias, in quibus festum agitur, convenientibus, servato tamen decreto Sacrorum Rituum Congregationis N. 3862 *Urbis et Orbis* IX Decembris MDCCCXCV. Demum facultatem impertimus, ut sollemnia Beatificationis Venerabilis Dei Servae Mariae Magdalenae Postel supradictis in templis celebrentur ad normam decreti seu instructionis Sacrorum Rituum Congregationis die XVI Dec. anno MDCCCCII de triduo intra annum a Beatificatione sollemniter celebrando, quod quidem fieri praecipimus diebus legitima auctoritate intra item annum designandis, postquam eadem sollemnia in Vaticana Basilica fuerint celebrata. Non obstantibus Constitutionibus et Sanctionibus Apostolicis ac decretis de non cultu editis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut harum Litterarum exemplis, etiam impressis, dummodo manu Secretarii praefatae Congregationis subscripta sint et sigillo Praefecti munita, eadem prorsus fides in disceptationibus etiam iudicialibus adhibeatur, quae Nostrae voluntatis significationi, hisce litteris ostensis, haberetur.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXII Ianuarii MDCCCCVIII, Pontificatus Nostri anno quinto.

L. ✠ S.

R. CARD. MERRY DEL VAL,
a Secretis Status.

EPISTOLA

DILECTO FILIO
IANVARIO BVCCERONI SAC. E SOC. IESV
DOCTORI DEC. THEOLOGIAE MORALI TRADENDAE
IN ATHENAEO GREGORIANO

—

PIVS PP. X

DILECTE FILI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

In libris de Theologia morali, qui celebratiores hodie sunt apud scholas catholicas, cognitum iampridem Nobis est *Institutiones* laudari, compositas a te secundum doctrinam duorum in hac disciplina principum, Aquinatis et Ligorii. Idque tuum opus novimus hoc praesertim nomine probari doctis, quod egregie factum apparet ad usum ministerii sacri: siquidem, quavis disputatione sublata quae inutilem remoram studiosis faciat, cum solidam doctrinam continet, presse dilucideque propositam, tum abundat iis quae sapiens et intelligens de rebus iudicium conformare possint. Existimare igitur debes, valde libenter haec volumina, a te Nobis oblata muneri, Nos accepisse. Quod quidem munus eo acceptius fuit, quia coniunctam habebat significationem tuae erga Nos pietatis atque studii, ob solemnem, quae nunc agitur, memoriam sacerdotalis consecrationis Nostrae. Gratum itaque

Nos tibi animum paternamque caritatem vicissim profitemur. Perge porro, dilecte Fili, ut facis, docendo scribendoque sacrae iuventuti prodesse; in quo ut optatos capias laborum fructus, auspicem tibi divini auxilii, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXII Ianuarii MCMVIII, Pontificatus Nostri anno quinto.

PIVS PP. X

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS
VENERABILIS DEI FAMVLA MAGDALENA SOPHIA BARAT
SOCIETATIS A SANCTISSIMO CORDE IESV
FVNDATRIX
BEATAE NOMINE ET HONORIBVS AVGETVR

PIVS PP. X

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Inexhausta Deus caritate non desinit in Ecclesia sua subinde heroes excitare, qui in novis eius necessitatibus nova afferant adiumenta, ac dum summis virtutibus miraculisque catholicae religionis veritatem confirmant, aeternae hominum saluti quam maxime prospiciunt. Quod cum, divino consilio, omni tempore factum est, tum praesertim trepidis in rebus, ut quo mala ingravescerent, eo potiora adessent remedia. Ita quidem evenisse scimus erumpente haeresi Luterana, ita duodevicesimo exeunte saeculo quando cuncta divina et humana eodem incendio deleri videbantur. Inter eos igitur qui hac postrema aetate Christi amore et de animis sollicitudine mirifice inclaruerunt, iure meritoque recensenda est Venerabilis Dei Serva Magdalena Sophia Barat, illius Societatis auctor et magistra, quae a Sacro Iesu Corde nomine adscito, primum in Galliis, ac brevi ubique gentium,

salutares fructus non minus fidei pietatisque, quam christianae puellarum institutionis dedit. Ortus, quem ipsa pridie Idus Decembres anno MDCCLXXIX e Iacobo et Magdalena Foufé, pauperibus honestisque parentibus, habuit, futuri sui ardentisque in Deum amoris ignem visus est portendere; illum enim flammae sociarunt, quibus natale oppidum *Joigny* in Burgundia eadem nocte fere absumptum fuit. Ex quo secutum est, ut puella de sua nativitate deinceps interrogata, se ex igne prodiisse candide responderet. Flagrans revera in Deum et in parentes pietas, incensa cupiditas discendi, simul cum vividis mente, eloquio et ipso obtutu, conspicuae eius usque ab ineunte aetate dotes et ornamenta fuere. Catechesim, quam diligenter memoriae tradiderat, prima in curiali templo reddere, in ea interpretanda longe ceteris praestare, et quasi praecipiens futura cogitatione, se Aloisio, germano fratre, duce et institutore, tum litteris, graecis praecipue et latinis, tum scientiis erudire; singulis momentis fortem virili pectore se foeminam praebere. Ideo frater, iam Sacris addictus, quum, augescente in Galliis christiani nominis insectatione, Parisios venisset, qua in urbe paulo post in carcerem coniectus est, duas illinc imagines Sanctissimi Iesu et Immaculatae Mariae Cordium ad suos muneri misit. Neque id absque praecipuo Divinae Providentiae contigit consilio; nam Venerabilis Dei Famulae cultus erga sacras huiusmodi effigies, parva habita est scintilla quae vastum in eius animo amoris incendium excitavit. Postea cum, fratre a custodia forte soluto, se Lutetiam Parisiorum adhuc puella contulisset, ita in studium, Religionis potissimum, ac pietatem curam operamque contulit, ut prae-

potens in ea oriretur desiderium se omnino Deo pro aeterna hominum salute dedicandi, ob temporum acerbitatem insidiis undique petita. Hoc vitae genus, ad quod Divini Cordis caritas eam urgebat, sibi facilius consequendum, non modo assidua precatione cruciatibusque existimavit, verum etiam perfecta sui despicientia, ceterarum virtute custode, per quam omnia caute accurateque fiunt, nam « *ubi... est humilitas, ibi et sapientia* » (Prov. XI, 2). Evangelii enim verba « *Discite a me quia mitis sum et humilis corde* » (Matth. XI, 29), in eius animo constanter insederunt. Tanta igitur Virginis merita, ingenio, doctrina ac pietate praeclarae, diutius latere non potuerunt, eaque admiratus Iosephus Varin, piissimus e Societate Iesu sacerdos, qui tunc inter Patres Fidei adlectus erat, Magdalenae suasor et auctor esse voluit de mulierum societate a Sacro Iesu Corde condenda, cuius Sorores se puellarum addicerent institutioni. Obstupefacta illa primum, atque incepti gravitate perterrita, tempus ad cogitandum exposcit et implorat, sed vehementi Sacerdotis oratione commota, qui divino quodam afflatu eam lapidem angularem novi operis fore praenoverat, illud *fiat* tandem pronuntiavit, ex quo tam laeti uberesque fructus ab ineunte superiore saeculo non intermisse percipiuntur. Die igitur festo Mariae Virginis ad templum deductae anno MDCCC, in privato eiusdem domus sacello, in qua Magdalena apud piam mulierem Parisiis commorabatur, tum ipsa tum primae eius Sorores se Sacratissimo Iesu Cordi penitus devoverunt, atque ita iacta sunt illius Instituti fundamenta, quod Divini Cordis gloriam in primis spectans, sanctis moribus puellas imbuere contendit, neque aliquid pro eis perpeti recusat. Quod omni

laude dignum consilium Deus ipse fortunavit. Etenim, ne expleto anni curriculo, die festo Beatae Margaritae Alacoque, prima Societatis domus, tanti operis incunabula. Ambiani condida fuit. Satum est ita sinapis granum, quod in arborem succrescens et ramos longe lateque diffundens, sua sub umbra tot animas in Christo solatium expetentes brevi tempore congregavit. Tum scilicet Venerabilis Dei Servae humilitas affulsit, nam dignissima habita cui primae huius domus moderatricis munus deferretur, summis initio precibus ac fletu obtestata est, ut ipsam onere eximerent immerito, at deinde, obedientiae officio ad assentiendum inducta, se totam arbitrio Dei permisit. Nihilominus se vel demissius gerens, ante Sorores prostrata, earum pedibus tam effusa caritate oscula dedit, ut ipsae prae animorum commotione a lacrimis temperare nequirent. Ambianensi domui cito altera addita fuit in Monasterio, quod ad Gratianopolim positum, Sanctae Mariae ab Alto dicunt. Ibi postquam Venerabilis Mater Pium PP. VII Dec. Nostrum Parisiis redeuntem, ab Eo caelesti Convivio recreata, Lugduni humillime salutaverat, leges Sodalitati regendae tulit; ibique eius Sorores, festo Praesentationis Virginis Mariae, vota solemnia nuncuparunt, quibus Ipsa se paucis ante annis obstrinxerat. Auctis praeterea huiusmodi domibus, ad quas undique virgines confugiebant, cum necesse esset supremam antistitam creare, iterum spes omnes in Magdalena Sophia collocatae sunt, utpote quae in obeundo moderatricis munere luculenta non modo religionis, prudentiae, consilii, sed singularis quoque humanitatis dedisset testimonia. Aliquot igitur dies supplicationibus habitis, et Divino Spiritu invocato, anno MDCCCVI, quo die

B. Petri Apostoli Romae recolitur adventus, maior Matrum pars, coetum ad id Ambiani celebrantium, Magdalenae sunt suffragatae, Eamque summam antistitam ad vitam renuntiarunt. Incredibile est dictu, quo pavore inopinatam hanc renuntiationem pientissima mulier audierit; tanta in ipsa de supremo munere erat opinio, tamque ei nihil se sufficere persuasum. In divina voluntate tandem acquiescens, demandatam sibi provinciam non sine trepidatione suscepit, eamque sexaginta fere annos, omnigenas exercens virtutes, administravit. Universi enim in ea, praeter ceteras eximias animi dotes, iustitiam simul cum caritate coniunctam admirati sunt, easque tam apte inter se consentientes, ut nulla unquam Filia, quas omnes aequo amore curaque complectebatur, eius animadversiones consequeretur. Paulo post Pictavium, ad aliam domum in veteri Cisterciensium coenobio erigendam arcessita, gravi diuturnoque morbo divinitus ex itinere liberatur, et compluribus puellabus, ad maternam eius opem confugientibus, illuc Burdigala deductis, primum suae Societatis tirocinium instituit. Iucundum est memoratu, quanta industria et studio Venerabilis Dei Serva has puellas ad religionis vitam compararet! Princeps enim eis datum praeceptum mutuus fuit amor, quocum tum sui contemptus, tum ardens se pro aliis immolandi voluptas coniungebantur, praeter quam erat illis in muliebres operas incumbendum, atque id potissimum spectandum, quod mentem, spiritum, cogitationes denique omnes in Sacratissimo Christi Corde defixa haberent, cuius nomen et gloriam erant in terrarum orbem propagaturae. Verum humani generis osor, qui nuperrimis insolens victoriis, nunc ob Religionis dignitatem restitutam

novis cladibus opprimebatur, nullo modo pati poterat, illam quoque Mulierem christianae vitae decus reddituram fore, ideoque acerrimis contra eam inimicis excitatis, spes in tanto opere totque exantlatis laboribus positas acriter frustrari conabatur. Quo circa leges ab illa Sodalitati conditas tunc ex alieno arbitrio cerneres vitiari; novas domus, ipsa insciente, institui; Fidei Patres, eam consilio et opere iuvantes, domo exturbari atque in exsilium pelli; nonnullas usque Filias a veteri Sodalitio sua sponte desciscere; eaque omnia tam vehementer illius Matris animum torquere, ut subito morbo prae dolore correpta, in vitae discrimen brevi adduceretur. Haec vero aliaeque mali genii contentiones et damna nihil aliud effecerunt, nisi ut fortis Foeminae humilitas et immutata Dei fiducia magis ac magis eluceret. Neque tantae fidei adfuit solatium. Nam caeleste auxilium, quod precibus, fletu, poenitentiisque pro dilecta Societate sua diu flagitaverat, praeter expectatum impetravit. A postremo itaque morbo confirmata, novas leges sub finem anni MDCCCXV iubere potuit, quibus in conscribendis inclyti Patres e Societate Iesu, qua prudentia ac rerum usu pollerent, admodum Ei profuerant; suae sodalitatis inimicos, mendacii manifestos, obmutescere comperit; novam tironibus domum Parisiis fundavit; sibi dissociatas Filias, ipsam in Matrem rursus habentes, peramanter complexae, de eis omnibus sereno gaudio dicere tandem licuit: *Cor unum et anima una in Corde Iesu.* Quid plura? Ipse rec. me. Pius PP. VII Dec. Noster eidem Societati a Sacratissimo Iesu Corde, cuius operibus se laetitia affectum ostendit, omnia fausta ac felicia ominabatur. Ex eo igitur tempore huiusmodi Sodalitas coepta est celeriter diffundi,

neque in Europam dumtaxat, verum etiam in longinquam Americam, quo dilectissima Magdalenae filia, Philippina Duchesne, IV Kalendas Iunias Divino Cordi Sacro anno MDCCCXVIII feliciter appulsa, in Societatem augendam tantae Matris attulit ardorem. Tunc princeps ipsa domus Parisiis transferretur oportuit, ubi in aedibus quae vulgo *Hôtel Biron* audiunt, nobilem et aptam sedem invenit, et clarissimos cuiusvis ordinis, vel e regia progenie viros excepit Venerabilis Dei Servae nomine atque instituto summopere adlectos. Humilis vero Christi ancilla se humanis subducens honoribus, nihil potius sibi habebat, quam ut religiosae Sorores ipsis traditam iuventutem pietate ac profanis disciplinis, tempori et personis consentaneis excolerent, « monentes eam... *seipsam irreprehensibilem exhibere* » (Tob. x, 13). Praeterea, ut non minus honestioris quam obscurioris loci puellae hac frui possent institutione, singulis domibus scholas pro pauperibus adiiciendas curavit. Ad quae omnia assequenda neque laboribus neque malefirmae parcens valetudini, huc et illuc occurrens, ac iam ingenti numero domos frequenter invisens, Sororum puellarumque animos adspectu, verbo atque ipsa potissimum, quam redoluit, sanctimonia, ad maiora in Domino concitabat. Ac semper nova excogitans instituta, actuosae virtutis exemplum prodibat. Ut enim cetera omittamus, praetereundam non esse ducimus Filiarum Mariae ab ea conditam Congregationem, quae quanta usui fuerit modestis familiarum moribus, nemo est qui ignoret. Itaque compluria et singularia beneficia a religiosis Sororibus, Iesu Cordi devotis, in puellas docendas tam scite naviterque collata, eidem fel. rec. Leoni PP. XII Dec. Nostro, qui biennio ante

Societatis leges sanxerat, facile persuaserunt, ut ea almae quoque Urbi compararet. Ad Sanctissimae Trinitatis igitur in Hortorum Colle prima huiusmodi domus Romae aperta fuit, quam duae aliae sunt postea secutae, et eae quidem omnes Venerabilis Matris praesentia exemploque diu recreatae. Demum reliquum vitae iter, quam Deus usque ad provectam aetatem producere decreverat, legifera Societatis Mater, nonnullis aliis adversis invicto animo superatis, novam recte factorum segetem in Christi Cordis honorem demetendo perrexit. In assiduis precibus totam saepe noctem pervigilare, corpus aspere usque ad sanguinis effusionem habere, adeoque demissum animum, ut vel octogesimum agens annum, sordidiora sponte obiret officia, et crebro puellarum pedes oscularetur. E contrario in alios, egenos praesertim ac pueros, summa uti caritate, Societati provehendae se pro viribus dedere, omnia denique fortiter suaviterque moderari. Mirandum ergo non est quod Deus tot christianae sapientiae ac virtutis merita supernis quoque in sua Famula rependeret donis, quippe quae, intimas hominum latebras scrutans, ad bonam frugem eos revocaret, futura praenosceret ac saepenumero a sensibus in divina abriperetur. Sed sanctae huius Foeminae suprema ab ipsa praedicta iam aderat hora, et cum ea beatitas aevi sempiterni. Quum enim multo mane, constantia flecti nescia, surrexisset, atque iteratas Deo funderet preces, tacta apoplexi, licet non dubiis pietatis actibus integram mentem usque ad extremum possedisse ostenderet, obmutuit, ac Parisiis VIII Kalendas Iunias, die Christo Iesu in caelum ascendenti sacro, piacularium Sororum ope praesidioque instructa, in Domino requievit. Acerbus ob hanc orbitatem Filiarum dolor vix cogi-

tatione mitigabatur, quod Matre in terris amissa, caelestis essent Patronae tutelam consecutae. Iusta soluta sunt confertissimo populo, qui tantae Matris sanctitate adductus, eius exuvias inspicere, osculari, floribus pluries operire, atque ad eas precaria serta et sacra numismata admovere, continuum triduum numquam satis habuit. Humile nunc hypogeum in Societatis sacello, Virgini Perdolenti dicato, Venerabilis illius Matris corpus tegit, quae, Mariae Immaculatae amantissima, pridie quam incideret in morbum, suas Filias, ut demisso forent animo, ultimis adlocuta verbis, adhortabatur. Ex illo igitur die, cum sanctitatis fama magis magisque augeretur, ob caelestia quoque prodigia quibus Deus eam confirmasse tradebatur, illius Beatificationis et Canonizationis caussa apud Sacrorum Rituum Congregationem suscepta fuit, ac singulis probationibus ex Ordinarii et Apostolici Processuum tabulis rite expensis Nos pridie idus Februarias anno MDCCCCV Venerabilis Dei Servae Magdalenae Sophiae Barat virtutes heroicum attigisse gradum solemni decreto declaravimus. Deinde quaestio de miraculis coepta est agitari, quae, Ipsa intercedente, a Deo patrata ferebantur, ac rebus omnibus severissimo iudicio ponderatis, cum duo miracula vera et explorata iudicata fuissent, Nos sollemni alio decreto, in vulgus edito VI Idus Decembres superioris anni, ea suprema Auctoritate Nostra rite probavimus. Postea illud unum supererat dubium proponendum, num Venerabilis Dei Serva inter beatos Caelites recensenda foret. Quod propositum fuit a dilecto Filio Nostro Dominico S. R. E. Cardinali Ferrata, caussae Relatore, in comitiis generalibus coram Nobis habitis postridie Idus Ianuarias huius vertentis anni, et in quibus omnes qui

aderant, tum Cardinales, tum Sacrorum Rituum Consultores affirmative responderunt. Nos vero iterandas esse preces censuimus, ut ad sententiam in tam gravi negotio ferendam caeleste auxilium Nobis compararemus. Tandem Dominica tertia post Epiphaniam, qua auspicatissimum festum S. Familiae recolitur, adstantibus Cardinalibus Seraphino Cretoni, Sacrorum Rituum Congregationis Praefecto, et Dominico Ferrata, caussae Relatore, nec non Venerabili Fratre Diomede Panici Archiepiscopo Laodicensi, eiusdem Congregationis Secretario, et Revmo Patre Alexandro Verde, Sanctae Fidei Promotore, Auctoritate Nostra pronunciavimus: *Tuto procedi posse ad solemnem Venerabilis Dei Servae Magdalenae Sophiae Barat Beatificationem.* Quae cum ita sint, enixa plurimorum Venerabilium Fratrum Nostrorum Antistitum atque universae Societatis a Sanctissimo Iesu Corde vota implentes, Apostolica Auctoritate Nostra, harum Litterarum vi, facultatem facimus ut Venerabilis Dei Serva Magdalena Sophia Barat Beatae nomine in posterum nuncupetur, et eius corpus et lipsana, seu reliquiae, non tamen in solemnioribus supplicationibus deferendae, publicae venerationi proponantur, atque imagines radiis decorentur. Praeterea eadem Apostolica Auctoritate Nostra concedimus, ut de illa recitetur Officium, et Missa celebretur singulis annis de Communi Virginum, cum orationibus propriis per Nos adprobatis, iuxta rubricas Missalis et Breviarii Romani. Huiusmodi vero Officii recitationem Missaeque celebrationem fieri concedimus dumtaxat in dioecesi Parisiensi, itemque omnibus in templis et sacellis, quibus ubique terrarum utitur Societas a Sacratissimo Iesu Corde, ab omnibus fidelibus, qui horas canonicas recitare teneantur, et

quod ad Missas attinet, ab omnibus Sacerdotibus tum saecularibus tum regularibus ad Ecclesias, in quibus festum agitur, convenientibus, servato tamen Decreto Sacrorum Rituum Congregationis (3862 Urbis et Orbis) die IX Decembris MDCCCXCV. Demum concedimus, ut Sollemnia Beatificationis Venerabilis Dei Servae supradictae, praefatis in templis celebrentur ad normam decreti seu instructionis Sacrorum Rituum Congregationis die XVI Decembris anno MDCCCCII de triduo intra annum a Beatificatione solemniter celebrando, quod quidem fieri praecipimus diebus legitima auctoritate intra pariter annum designandis, postquam eadem Sollemnia in Basilica Vaticana fuerint celebrata. Non obstantibus Constitutionibus Apostolicis ac Decretis de non cultu editis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut harum Litterarum exemplis, etiam impressis, dummodo manu Secretarii praefatae Congregationis subscripta sint et sigillo Praefecti munita, eadem prorsus fides in disceptationibus etiam iudicialibus habeatur, quae Nostrae voluntatis significationi, hisce Litteris ostensis, haberetur.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXXI Ianuarii MDCCCCVIII, Pontificatus Nostri anno quinto.

L. ✠ S.

R. CARD. MERRY DEL VAL,
a Secretis Status.

EPISTOLA

DILECTO FILIO
ALEXIO MARIAE LÉPICIER
SAC. EX ORDINE SERVORVM MARIAE
DOCT. DEC. SACRAE THEOLOGIAE TRADENDAE
IN SCHOLIS COLLEGII VRBANIANI

—

PIVS PP. X

DILECTE FILI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quod Nos certiores facis, librum proxime a te editum iri, in quo de Sancto Iosepho, Sponso Deiparae, ratione in sacris disciplinis usitata disseris, gratum Nobis nuntias: est enim peropportunum, his maxime rei christianae temporibus, incrementa quaerere solidae pietatis et religionis erga Patriarcham sanctissimum, quem Ecclesia Catholica patronum suum peculiarem apud Deum agnoscit. Quod autem rogas, ut eum sinamus librum exire dicatum Nobis, eumdemque habere velimus testem devoti Nobis animi tui; Nos quidem et tale Filii amantis officium paterna excipimus voluntate, et rogationi tuae libenter concedimus. Idque eo libentius, quia te, pro ingenio, eruditione studioque tuo, confecisse opus arbitramur eiusmodi, quod novas tibi doctorum laudes conciliet. — Hoc loco scias, volumen etiam, quod nuper obtu-

listi, *De pertinentibus ad divinam operationem,* grate Nos accepisse; atque illud Nobis videri ea ipsa commendatione dignum, qua non ita pridem cetera in simili genere tua scripta prosecuti sumus. Tu igitur contende, ut instituisti, doctrinam catholicam illustrare ac defendere, divino fretus auxilio: cuius auspicem, dilecte Fili, Apostolicam tibi Benedictionem amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die II Februarii MCMVIII, Pontificatus Nostri anno quinto.

PIVS PP. X

EPISTOLA

DILECTO FILIO

HIPPOLYTO LEROY, SAC. E SOC. IESV

—

PIVS PP. X

DILECTE FILI

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Volumina a te adhuc edita, Nobisque perhumaniter oblata, quibus opus tuum continetur, cui titulus - *Leçons d'Écriture Sainte*: *Jésus-Christ, Sa Vie, Son Temps* - ita Nos libenter accepimus, ut non satis habeamus grates tibi ob munus agere, sed praeterea de ipso opere tuo valde gratulemur. Novimus, hunc a te susceptum esse laborem, cum et in sacrae theologiae studio atque in exegesi Bibliorum diu multumque versatus esses, et linguas orientales plane percepisses, et semel atque iterum loca lustrasses, quae Christus Dominus praesentia et actione vitae suae consecravit. His doctrinae praesidiis instructus, insuper excultus litteris, in primisque, uti par est, ipsius tam magni argumenti religione imbutus, non est mirum, si tuis *Lectionibus* tum eruditorum iudicio, tum complurium pietati cumulate satisfeceris. Nos tibi damus praesertim laudi, quod in dictis factisque Redemptoris explicandis illud solemne habueris, vera quidem rei biblicae incrementa sequi, sed ab omni abhorrere teme-

raria opinionum novitate. Itaque ex hac lucubratione, qua divini Ecclesiae Auctoris altiorem proferre notitiam studuisti, uberes te cepisse fructus, gaudemus: uberiores ut capias, magnopere optamus, ipsius tibi adspirante Domini nostri gratia. Cuius auspicem, eamdemque benevolentiae Nostrae testem, tibi, dilecte Fili, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XII Februarii MCMVIII, Pontificatus Nostri anno quinto.

PIVS PP. X

DECRETVM

QVO RESTITVITVR IN CIVITATE NICHTEROY
SEDES EPISCOPALIS DIOECESIS PETROPOLITANAE
AB EA DEINCEPS
NICHTEROYENSIS NVNCVPANDAE

—

Decreto Consistoriali, cuius initium « *Ad Sanctissimum* » die XVI mensis Iulii anno MDCCCXCVII edito, dioecesis Nictheroyensis episcopalis Sedes, quae paucos ante annos in civitate *Campos dos Goyatacazas* vulgo nuncupata constituta fuerat, ex hac civitate in urbem, cui nomen Petropolis, translata fuit. Tunc enim temporis, cum nova in finibus Nictheroyensis ipsius dioecesis inducta fuerit circumscriptio, eiusque territorium accessione civitatis et municipii Petropolitani ac regionis a Sancto Antonio *de Carangola* nuncupatae fuerit ampliatum, non pauca suadere videbantur, spirituali dioecesis eiusdem, quae Petropolitana a nova civitate episcopali appellata fuit, regimini melius aptiusque fore consultum, si eius Cathedra in urbe Petropoli constitueretur.

Verum deinde, experientia duce, compertum est eventus haud ita feliciter successisse, sicuti spes erat, eademque imo et graviora ex Sedis episcopalis in civitatem Petropolim translatione oriri incommoda, iis ad quae vitanda translatio ipsa decreta fuerat.

Cum itaque nuper Petropolitanam dioecesim ob translationem postremi sui praesulis R. P. D. Ioannis Braga ad Curytubensem episcopalem Ecclesiam vacare contigerit, humiliter SSmo Domino Nostro Pio PP. X supplicatum fuit, ut Cathedra seu Sedes episcopalis Nictheroyensis, vel potius Petropolitanae, dioecesis iterum in civitatem Nictheroy transferretur.

Sanctitas Sua, cunctis quae consideranda erant matura deliberatione perpensis, omnia quae spirituali fidelium saluti profutura intelliguntur decernere cupiens, quod bonum, faustum felixque sit, Dei gloriae Religionisque incremento benevertat, suppleto, quatenus opus sit, quorumcumque in hac re interesse habentium vel habere praesumentium consensu, Petropolitanae dioecesis Cathedram seu Sedem episcopalem in civitatem Nictheroy transferendam decrevit in eum qui sequitur modum.

I.

Beatitudo Sua in primis de Apostolicae potestatis plenitudine, Cathedram seu episcopalem Sedem pro Nictheroyensi vel Petropolitana dioecesi in civitate, cui nomen Petropolis, relato supra Consistoriali Decreto constitutam, supprimit et exstinguit, ac omnia iura et privilegia quae hac ex causa civitati ipsi et cathedrali templo in ea erecto spectabant, adimit ademptaque declarat.

II.

Deinde Sanctitas Sua Petropolitanae ipsius dioecesis, Nictheroyensis in posterum iterum nuncupandae, Cathedram in civitatem Nictheroy transfert, in eaque constituit, ita ut

urbs Nictheroy dioecesis, hucusque Petropolitanae nuncupatae, caput sit, iuribusque omnibus, praerogativis, et honoribus fruatur, quibus ceterae in Brasiliana Republica civitates, Pontificali Sede insignitae, earumque cives utuntur et gaudent, atque in ea novus Episcopus, Nictheroyensis et ipse deinceps appellandus, eiusque legitimi successores residere debeant.

III.

Ecclesiam honori Sancti Ioannis Baptistae in civitate Nictheroy dicatam eadem Sanctitas Sua in Cathedrale Nictheroyensis eiusdem dioecesis templum erexit et instituit, et in ea Sedem et dignitatem episcopalem pro Nictheroyensi Episcopo, qui eidem Ecclesiae eidemque civitati et dioecesi praesit, Synodum convocet, et omnia et singula iura, officia et munia episcopalia habeat et exerceat cum suis Capitulo, mensa episcopali, ceterisque cathedralibus et pontificalibus insigniis, iurisdictionibus, praerogativis, privilegiis, honoribus, gratiis et indultis realibus, personalibus et mixtis, ad Cathedrales alias ecclesias in Brasiliana Republica exsistentes et ad earum Praesules pertinentibus, iis tamen exceptis, quae aut oneroso titulo aut ex peculiari indulto obtenta fuerint.

IV.

Quum ex Tridentinorum Patrum ordinatione Seminarium in quavis sit dioecesi constituendum, quumque in Petropolitana, nunc vero Nictheroyensi, dioecesi erigi hactenus non potuerit, Beatitudo Sua illud Nictheroyensis Antistitis sol-

licitudini, quo citius fieri possit, instituendum commisit, ut in eo iuvenes, qui Ecclesiae servitio se mancipare volunt, excipiantur, et ad Ecclesiae disciplinam atque ad sanam doctrinam, ex fontibus praesertim Angelici Doctoris haustam, omni studio informentur et erudiantur. Et quoniam adest in Urbe Collegium Pio-Latino-Americanum eum in finem erectum ut ex Americae Latinae dioecesibus iuvenes ad ipsum mittantur, in Ecclesiae spem, ipsis sub oculis Romanorum Pontificum, alendi, mandavit eadem Beatitudo Sua ut, secundum ea quae in Concilio plenario totius Americae Latinae, Romae anno MDCCCXCIX habito, statuta fuerunt, e Nictheroyensi quoque dioecesi bini, quam primum fieri poterit, in eo collocentur adolescentes, inter eos qui virtute ac ingenii nobilitate praestant, seligendi, idque in posterum non intermissa vice fiat.

V.

Quod si praeter Clericorum Seminarium, et alia ad Nictheroyensis dioecesis constitutionem necessaria institui adhuc debeant, ea Sanctitas Sua voluit ut ad normam sacrorum canonum et Litterarum Apostolicarum « *Ad Universas* », quibus anno MDCCCXCII die XXVII Aprilis Nictheroyensis ipsa dioecesis condita fuit, ubi primum fieri poterit, erigantur et disponantur.

VI.

In reliquis dioecesis olim Petropolitanae, nunc vero Nictheroyensis, status et conditio eadem manebit, cum Beatitudo Sua nihil quoad cetera immutandum censuerit.

VII.

Ad praemissa exsequenda SSmus Dñus Noster deputari voluit R. P. D. Alexandrum Bavona, Archiepiscopum Titularem Pharsalensem et in Brasiliana Republica Nuntium Apostolicum, cum facultatibus necessariis et opportunis etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quamcumque aliam personam in ecclesiastica dignitate constitutam, itemque definitive pronunciandi super quavis oppositione, in exsecutione peragenda, quomodolibet oritura, iniuncta eidem obligatione, intra sex menses, ad Sacram hanc Congregationem transmittendi exemplar, authentica forma exaratum, exsecutionis peractae, et praesens hisce de rebus edi voluit Decretum Consistoriale, perinde valiturum ac si super iisdem Litterae Apostolicae sub plumbo vel sub anulo Piscatoris expeditae fuissent, et Decretum ipsum inter acta referri Sacrae huius Congregationis Consistorialis.

Datum Romae hac die XXV Februarii, anno Domini MCMVIII.

Pro R. P. D. Secretario
Ivlivs Grazioli
S. C. Consistorialis et Secretariae S. Collegii
Substitutus.

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS

CATHEDRALES ECCLESIAE LVCERINA ET TROIANA

AEQVE PRINCIPALITER INTER SE VNITAE

IN PERPETVVM DECLARANTVR

—

PIVS PP. X

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Ad Apostolicae Sedis fastigium nullis quidem meritis Nostris divinitus evecti, id Nobis potissimum proposuimus, nimirum omnia in Christo instaurare: ideoque in votis nihil magis habuimus, quam ut quae ad catholicae plebis spirituale regimen, et nominatim ad ipsam Cathedralium Ecclesiarum constitutionem atque administrationem pertinent, quo melius fieri posset, Auctoritate Nostra interposita disponerentur. Hinc fere ab initio Pontificatus Nostri, quod felicis recordationis Leo PP. XIII Decessor Noster iam animo conceperat, at morte interceptus perficere nequiverat, in Italiae dioeceses Apostolicam visitationem indiximus; hinc etiam omne studium adhibuimus, ut qui ad episcopalem dignitatem evehendi essent, scientia non minus, quam vitae sanctitate praestarent. In id praeterea peculiares curas Nostras convertimus, ut ipsa Cathedralium Ecclesiarum circumscriptio, sive latitudo, christiani populi necessitatibus aptius accommo-

daretur, quoties temporum locorumque adiuncta id sinerent. Compertum siquidem est, eas dioeceses quae, aut late nimis patent, aut exiguo nimis paroeciarum vel incolarum numero constituuntur, his facile destitui adiumentis quae ad christianae vitae actionem in populis fovendam, aut clerum in sanctitate confirmandum, denique ad iuvenes in Ecclesiae spem succrescentes, et qui Sacris initiandi sunt, erudiendos ac moderandos, quam maxime conferunt. Haec sane in Domino spectantes, anno elapso, similibus Apostolicis Litteris die XII mensis Aprilis sub annulo Piscatoris datis, Narniensem Ecclesiam Interamnensi aeque principaliter adnectendam censuimus: nunc autem cum Lucerinam episcopalem Sedem ob interitum bo. me. Iosephi Conserti, ultimi illius Antistitis, vacare contigerit, placet quidem Nobis, huic Sedi adiacentem ipsi Troianàm dioecesim unire. Haec enim Ecclesia, postquam anno MDCCCLV novus ex ea constitutus fuit Episcopatus Fodianus, arctis adeo limitibus circumscripta mansit, adeoque imminuta, ut eius Praesules opportunis necesse sit deficiant subsidiis, quibus hac nostra maxime aetate, opus est ut occurrentibus fidelium necessitatibus clericorumque praesertim institutioni, qua par est sollecitudine, prospici queat. Quae cum ita sint, omnibus rei momentis matura deliberatione perpensis, quod bonum, faustum felixque sit, Dei gloriae et animarum saluti benevertat, Nos Motu proprio ac de Apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium Cathedrales Ecclesias Lucerinam et Troianam, in eum qui sequitur modum, invicem perpetuo aeque principaliter uniendas decernimus. In primis suppleto, quatenus opus sit, quorumcumque in hac re interesse habentium, vel habere praesumentium,

consensu, Troianam Cathedralem Ecclesiam, Lucerinae Ecclesiae Cathedrali aeque principaliter unimus, ita tamen ut neutra sit alteri subiecta; utrique vero idem praesit unus Antistes, qui propterea Episcopus Lucerinus et Troianus erit nuncupandus, quique hanc denominationem, cum Lucerina episcopalis Sedes antiquitate praestet, in actis quoque Troianam Ecclesiam respicientibus, servabit. Huius pariter antiquitatis gratia praecipimus, ut qui in posterum ad Lucerinam et Troianam Ecclesias, tali modo per Nos aeque principaliter unitas, regendas promoveantur Pastores, in suarum Sedium possessione capienda, Lucerinam primum adeant Cathedralem Ecclesiam, ac subinde Troianam. Eadem de causa quoties Cathedralia Capitula, Ecclesiarum Lucerinae et Troianae invicem perpetuo unitarum, una simul conveniant, statuimus ut supra Troianum Lucerino Capitulo praecedentia servetur. His tantum exceptis; in reliquis volumus ut una quaeque ex dioecesibus Lucerina et Troiana, ad mutuas quod attinet relationes, iisdem et aequalibus iuribus fruatur; Lucerinus proinde et Troianus Episcopus in unaquaque ex ipsis per mediam anni partem, vel continuo vel per intervalla commorari teneatur. Utraque pariter Ecclesia tam Lucerina, quam Troiana, proprium cum sua respective episcopali Curia, Vicarium in spiritualibus Generalem habeat. Vacantibus vero iisdem dioecesibus, Cathedrale uniuscuiusque Capitulum Vicarium capitularem eligat ac deputet, qui iurisdictionem in sua respective dioecesi, ad Sacrosanctae Tridentinae Synodi praescriptum habeat et exerceat. Dioecesanam tamen Synodum unam tantum pro utraque episcopali Ecclesia Lucerina et Troiana agendam statuimus, eamque libere pro prudenti An-

tistitis pro tempore arbitrio, in alterutra ex iisdem Cathedralibus ecclesiis convocandam. Pro examinandis vero iis qui ad sacros ordines promovendi sunt, aut iis qui parochiales ecclesias consequi cupiunt, peculiares una quaeque dioecesis Examinatores synodales habeat, ut clerici et presbyteri commode examinari atque ad concursus admitti queant. Quae vero tum ad Lucerinae cum ad Troianae mensae Episcopalis redditus et administrationem spectant, ea Nos praecipimus omnino maneant immutata, sicut huc usque exstiterunt, atque futuro Episcopo Lucerino et Troiano eiusque successoribus, una cum iure fructus ac redditus uniuscuiusque mensae percipiendi, officium imponimus utriusque administrationis distinctam rationem habendi oneraque omnia fideliter implendi, quibus unitarum Ecclesiarum mensae respective obnoxiae sint, ac si Lucerina et Troiana dioeceses separatae adhuc forent. Ecclesiarum Lucerinae et Troianae invicem aeque principaliter perpetuo unitarum taxam in summam utriusque Sedis taxae constitui, et hanc novam taxam in libris Camerae Apostolicae de more describi iubemus. Ea demum omnia quibus praesentium Litterarum vi derogatum non fuit, firma et rata, secundum canonicas regulas, et catholicae Ecclesiae disciplinam manere debere. Si quae autem circa praemissa in posterum difficultas aut controversia forte sit oritura, eam ad Romanam Curiam edicimus deferendam, quae, rebus omnibus accurate perpensis, prout de iure decernet. Ad praemissa vero exsequenda Venerabilem Fratrem Benedictum Bonazzi O. S. B., Beneventanae Metropolitanae Ecclesiae Archiepiscopum, deputamus similiter Apostolica Nostra Auctoritate praesentium vi, eumque facultatibus necessariis atque oppor-

tunis munimus, etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quamcumque aliam personam in ecclesiastica dignitate constitutam, itemque definitive pronunciandi super qualibet oppositione in exsecutionis actu forte oritura, iniuncta eidem obligatione transmittendi peractae exsecutionis authenticum exemplar ad Congregationem Consistorialem, intra tres menses, a die computandos quo praesentes de praefata Unione Litterae datae sunt. Praesentes vero Litteras nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel aliquo alio etiam substantiali defectu, notari, impugnari, vel in controversiam vocari posse, sed eas semper validas et efficaces exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et spectare poterit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque et non alias per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, et si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum atque inane fore decernimus. Non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VI Martii MCMVIII, Pontificatus Nostri anno quinto.

L. ✠ S.

R. CARD. MERRY DEL VAL,
a Secretis Status.

DECRETVM

SACRAE ROMANAE ET VNIVERSALIS INQVISITIONIS
QVO SACERDOS ALFREDVS LOISY
EXCOMMVNICATIONIS MAIORIS SENTENTIA MVLCTATVR

—

Sacerdotem Alfredum Loisy, in dioecesi Lingonensi in praesens commorantem, plura et verbo docuisse et scripto in vulgus edidisse quae ipsamet fidei christianae potissima fundamenta subvertunt, iam ubique compertum est. Spes tamen affulgebat eum, novitatis magis amore quam animi pravitate fortasse deceptum, recentibus in eiusmodi materia Sanctae Sedis declarationibus et praescriptionibus se conformaturum; ideoque a gravioribus canonicis sanctionibus hucusque temperatum fuit. Sed contra accidit: nam, spretis omnibus, non solum errores suos non eiuravit, quin imo, et novis scriptis et datis ad Superiores litteris, eos pervicaciter confirmare veritus non est. Quum plane igitur constet de eius post formales canonicas monitiones obfirmata contumacia, Suprema haec Sacrae Romanae et Universalis Inquisitionis Congregatio, ne muneri suo deficiat, de expresso SSmi Domini Nostri Pii PP. X mandato, sententiam maioris excommunicationis in sacerdotem Alfredum Loisy *nominatim* ac *personaliter* pronunciat, eumque omnibus plecti poenis publice excommunicatorum, ac proinde *vitandum esse* atque ab omnibus *vitari debere,* solemniter declarat.

Datum Romae ex Aedibus S. Officii, die 7 Martii 1908.

L. ✠ S.

PETRVS PALOMBELLI, *S. R. et U. I. Notarius.*

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS
VICARIATVS APOSTOLICVS DE MACKENZIE DISMEMBRATVR
ET NOVA PRAEFECTVRA APOSTOLICA DE YVKAN
IN PROVINCIA ECCLESIASTICA VICTORIAE IN CANADA
ERIGITVR

—

PIVS PP. X

AD FVTVRAM REI MEMORIAM

Quae catholico nomini aeternaeque fidelium saluti bene prospere ac feliciter eveniant, ea ut mature praestemus Nos admonet supremi Apostolatus munus, quo in terris licet immeriti fungimur. Iam vero cum Vicariatus Apostolicus de Mackenzie in provincia ecclesiastica Victoriae de insula Vancouver comprehendat in sua extensione districtum de Yukan, qui e reliquo eiusdem Vicariatus territorio asperis montium tractibus separatur, Nos, omnibus rei momentis attento ac sedulo studio perpensis cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, ad maiora religionis incrementa in eodem districtu de Yukan provehenda, illum a Vicariatu de Mackenzie seiungendum atque in distinctam Apostolicam Praefecturam erigendum, ut infra, censuimus. Quare ex certa scientia ac matura deliberatione

Nostris deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium vi, Motu proprio, districtum de Yukan e Vicariatu Apostolico de Mackenzie seiungimus sive dismembramus; illumque in distinctam Apostolicam Praefecturam erigimus, additis ad meridiem quibusdam territorii tractibus, quos a dioecesi Neo-Westmonasteriensi similiter per praesentes Apostolica Nostra Auctoritate dismembramus, scilicet parte districtus, de *Cassiar* nuncupati, quae inter montes Saxosos (*Montagne Rocciose*) ad orientem, et inter Praefecturam de Alaska ad occidentem continetur, inter gradus 55^{m} et 54^{m} latitudinis borealis, atque ad orientem terminatur arcu meridiano 124° long. occ. a Greenwich. Porro praecipimus ut haec nova Apostolica Praefectura de Yukan appellanda et cuius curam alumnis Congregationis Oblatorum Virginis Immaculatae demandamus, permaneat in provincia ecclesiastica Victoriae de Insula Vancouver; Vicariatus autem Apostolicus de Mackenzie similiter Nostra Auctoritate per praesentes ad ecclesiasticam provinciam S. Bonifacii transeat, ad quam magis apertas habet vias. Decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat, et in posterum spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices Ordinarios vel delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum esse et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque

speciali licet atque individua mentione ac derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die IX Martii MCMVIII, Pontificatus Nostri anno quinto.

L. ✠ S.

R. CARD. MERRY DEL VAL,
a Secretis Status.

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS

PRAEFECTVRA APOSTOLICA DE STANLEY FALLS

IN VICARIATVM ERIGITVR

—

PIVS PP. X

AD FVTVRAM REI MEMORIAM

Ex hac Beati Petri Cathedra tanquam a sublimi specula in omnes Christiani orbis regiones, vel longo terrarum marisque spatio seiunctas, oculos mentis Nostrae convertimus, et quae rei sacrae procurationi melius gerendae facere possunt, sollicito quidem studio decernere satagimus. Porro cum exploratum habeamus compertumque, catholicam rem in Praefectura Apostolica de Stanley Falls, quae a Missionariis Instituti Presbyterorum a Sacro Corde Iesu deservitur, prospere, Deo favente, se habere, et ob hanc causam a Superiore Generali instituti eiusdem postulationem fieri, ut nempe praedicta Praefectura in Vicariatum Apostolicum erigatur, Nos, collatis consiliis cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, re ad examen mature revocata et adiunctis omnibus diligenter perpensis, supradictam Generalis Superioris petitionem benigne acceptandam esse existimavimus. Quae cum ita sint, Motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque

Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium vi, Praefecturam Apostolicam de Stanley Falls in Vicariatum Apostolicum erigimus, servato eodem nomine de Stanley Falls, atque iisdem manentibus confiniis. Decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exsistere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque, ad quos spectat, et in posterum spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum esse et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque omnibus, speciali licet atque individua mentione ac derogatione dignis, in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die x Martii MCMVIII, Pontificatus Nostri anno quinto.

L. ✠ S.

R. CARD. MERRY DEL VAL,
a Secretis Status.

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
EDVARDO THOMAE EPISCOPO LIMERICIENSI
LIMERICVM

—

PIVS PP. X

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quum illud opusculum, in quo scripta Cardinalis Newman tantum abesse ostendis ut Encyclicis Nostris Litteris *Pascendi* sint dissentanea, ut valde cum iisdem congruant, vehementer Nobis probari scito: melius enim cum veritati servire, tum hominis dignitati non poteras. Apparet, inter eos quorum errores per eas Litteras damnavimus, quasi quoddam constitutum esse factum, ut, quae ipsi commenti sint, hisce e praeclarissimi viri nomine commendationem petant. Ita contendunt passim, se ex illo fonte et capite praecipua quaedam sumpsisse, ob eamque causam non potuisse a Nobis suas ipsorum improbari doctrinas, quin simul atque adeo prius improbarimus quae talis tantusque auctor docuisset. Quod, nisi cognitum sit elati animi tumor quantum ad obruendam mentem valeat, incredibile videatur inveniri qui sese putent atque ostentent catholicos, quum in ipsa intima religionis disciplina auctoritatem privati doctoris, quamvis

insignis, magisterio Apostolicae Sedis anteponant. Quorum non modo tu contumaciam coarguis, sed fallaciam. Nam, si in iis, quae hic ante catholicam professionem scripserat, licet fortasse aliquid deprehendere quod similitudinem quamdam habeat cum certis Modernistarum formulis, iure id negas istis suffragari: propterea quod et longe alia ibidem est subiecta vocibus sententia, aliudque scribentis est propositum, et ipse auctor, in aditu ad Ecclesiam catholicam, omnia sua scripta Ecclesiae ipsius auctoritati detulit, utique emendanda, si viderentur. Quod autem ad libros attinet quos magno vel numero vel pondere confecit catholicus, vix opus est cum hac haeresi cognationem ab eis repellere. Etenim in luce Angliae, quod nemo ignorat, sic Henricus Newman perpetuo causam catholicae fidei scribendo egit, ut eius opera simul civibus suis maxime esset salutaris, simul a Decessoribus Nostris maximi fieret: itaque dignus est habitus, quem Leo XIII, aestimator certe sagax hominum atque rerum, Cardinalem diceret: cui quidem in omni deinceps vita merito fuit carissimus. Profecto in tanta lucubrationum eius copia, quidpiam reperiri potest, quod ab usitata theologorum ratione alienum videatur: nihil potest quod de ipsius fide suspicionem afferat. Recteque affirmas, mirum non esse, si quum indicia haeresis novae nulla apparerent, certis quibusdam in locis non ita cautum adhibuit loquendi genus: sed perperam doloseque Modernistas facere, qui illa verba, invito totius orationis contextu, ad suam ipsorum sententiam detorqueant. Nos igitur gratulamur tibi, quod memoriam optimi et sapientissimi viri, pro tua scriptorum eius omnium notitia, egregie ab iniuria vindicaris: simulque, quantum in te fuit, effeceris, ut inter

populares tuos, Anglos praesertim, iam desinant, qui hoc nomine abuti consueverunt, imperitos decipere. Atque utinam illi auctorem rite sequantur Newman, non ita nempe ut praeiudicatis opinionibus addicti scrutentur eius volumina, ex hisque dolo malo eliciant aliquid quo illas confirmari contendant; verum ut sincera et integra eiusdem principia, documenta spiritusque percipiant. Multa e tali magistro discent praeclara: in primis autem, sanctum habere magisterium Ecclesiae, inviolate tueri traditam a Patribus doctrinam, et, quod caput est ad custodiam catholicae veritatis, Successori Beati Petri summa cum fide obsequi et obedire. Tibi praeterea, Venerabilis Frater, tuoque clero ac populo, quod missa communi stipe tenuitati Nostrae subvenire pie studuistis, grates agimus ex animo: atque ad concilianda vobis, primumque omnium tibi, divinae benignitatis munera, itemque ad testandam benevolentiam Nostram, peramanter Apostolicam Benedictionem impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die x Martii MCMVIII, Pontificatus Nostri anno quinto.

PIVS PP. X

EPISTOLA

DILECTO FILIO

CAROLO SAVVÉ

PRESBYTERO SVLPITIANO

ANDEGAVVM

—

PIVS PP. X

DILECTE FILI

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Iamdudum te, dilecte Fili, quum sacras disciplinas diu cum laude tradidisses, intelligimus dare operam, ut mysticae theologiae explicatione amorem religionis cultumque christianarum virtutum in bonis foveas: idque te facere vulgandis continuatione quadam libris, quorum ob copiam pondusque rerum, integritatem sententiarum, calidum caritate quodammodo orationis genus, non mediocris est inter graves et prudentes viros commendatio. Itaque exemplaria, Nobis a te missa muneri, praecipuorum ex eis libris quos ad hunc diem confecisti, libenti sane accepimus animo; quemadmodum accipere dignum erat fructus tam laudatos ingenii, doctrinae, pietatis tuae. Sed peculiaris praeterea est ratio, quare tuus iste labos Nobis placeat. Ad assequendum propositum, quod urgemus, renovandi usquequaque christianos spiritus, haec proxima et quasi compendiaria via est, efficere

ut homines e sacro ordine, vel potius quicumque suae et proximorum sempiternae saluti student, eo maiorem huiusce studii diligentiaeque flammam concipiant. Hoc ipsum tu pro viribus contendis, exposita ad contemplandum arcanâ christianae sapientiae pulchritudine: quae, si perspiciatur altius, mire capiat animos, et sanctius colere sua quemque officia suadeat. Igitur, quod habes institutum, magnopere te hortamur ut persequare diligenter; tibique in eam rem precamur lectissima perpetuo affluant a Deo subsidia. Restat, id quod valde velimus, ut quamplures, maxime de Clero, cuius potissimum causa scribere instituisti, tua legentes volumina, praeclaras, quae sperantur, utilitates ex eis capiant. Interea divinorum auspicem munerum, et benevolentiae Nostrae testem, tibi, dilecte Fili, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die x Martii anno MCMVIII, Pontificatus Nostri quinto.

PIVS PP. X

DECRETVM

SACRAE CONGREGATIONIS CONSISTORIALIS
QVO CERTAE QVAEDAM PAROECIAE
A DIOECESI MVTILANENSI DISMEMBRATAE
DIOECESI SARSINATENSI TRIBVVNTVR

Anno millesimo octingentesimo quinquagesimo, cum Leopoldus II Magnus Hetruriae Dux enixis apud Apostolicam Sedem institerit precibus ut loca omnia sibi subiecta Episcopis subderentur intra eiusdem Magni Ducatus fines residentibus, Pius PP. f. r. IX, ut Magni Hetruriae Ducis votis obsecundaret, Litteris Apostolicis quarum initium « *Ex quo licet immeriti* » die XVI Iulii datis, paroeciis e pluribus dioecesibus distractis, novam ex ipsis Mutilanam episcopalem Sedem constituendam decrevit. Inter paroecias quae novae huic Sedi attributae tunc sunt, certae quaedam fuerunt, quae ad Sarsinatensem pertinebant dioecesim. Tractu tamen temporis compertum est paroecias easdem, infra designandas, a Mutilana civitate longius abesse quam ut ad eas invisendas dioecesis Mutilanae Praesules, qua necesse est frequentia, facile et commode accedere possint. Non modo enim a civitate ipsa episcopali centum et amplius passuum millibus eaedem paroeciae absunt, sed et a dioecesi Mutilana, pluribus aliis interiectis dioecesibus, Sarsinatensi nempe, Brictino-

riensi, Caesenatensi, Foroliviensi ac Faventina separantur, dum Sarsinatensi civitati proximae adeo sunt ut octo ex ipsis, antequam Mutilanae subiicerentur Sedi, ipsius Sarsinatensis Cathedralis Ecclesiae filiales fuerint, atque ad Cathedralem hanc Ecclesiam, etiam in praesens, earum incolae conveniant ut Sacris intersint atque, paschali praesertim tempore, Sacramenta excipiant.

Eapropter cum nuper episcopalem Sedem Mutilanam ob resignationem R. P. D. Santis Mei vacare contigerit, easdem paroecias Sarsinatensis dioecesis territorio iterum aggregare opportunum omnino visum est.

SSmus itaque D. N. Pius PP. X de omnibus per me infrascriptum Sacrae Congregationis consistorialibus rebus expediendis praepositae Substitutum certior factus, cunctis quae consideranda erant matura deliberatione perpensis, suppleto, quatenus opus sit, quorumcumque in hac re interesse habentium vel habere praesumentium consensu, quod bonum, faustum, felixque sit, Dei gloriae Religionisque incremento benevertat, paroecias a Sancto Aegidio de *Sorbano,* a Divo Bartholomeo Apostolo de *Tezzo,* a SSmo Salvatore in *Summano,* a Sancto Andrea Apostolo de *Careste,* a Sancto Blasio de *Rullato,* a Sancto Mamante de *Ruscello,* a Sancta Maria de *Valbiano,* a Sancto Marino de *Sagliaccio,* a Sancto Cassiano de *Monteriolo,* a Sancto Martino in *Corneto,* a Sancto Laurentio de *Nasseto,* a Sancto Xisto Pontifice de *Pereto,* a Sancta Maria in *Balze,* a Sancto Ioanne Baptista de *Capanna,* a Sancta Maria in *Monte Coronaro,* a Sancto Michaële in *Verghereto* vulgo nuncupatas, cum omnibus et singulis in ipsis

exsistentibus et commorantibus de Apostolicae potestatis plenitudine a Mutilanae dioecesis territorio separavit et avulsit, easque pariter, ut supra, cum omnibus et singulis in earum territorio existentibus et commorantibus, Sarsinatensi dioecesi attribuit et addixit, ita ut paroeciae eaedem Sarsinatensis ipsius cathedralis Ecclesiae Praesulibus in posterum sint subiectae, prout hactenus Mutilani Episcopi iurisdictioni suppositae fuerunt.

Ne quid vero detrimenti exinde rebus aut personis obveniat, praecepit Sanctitas Sua, ut paroeciarum, quae supra memoratae sunt, rectoribus optio detur eligendi, intra tempus ab Exsequutore infra designando statuendum, quanam in dioecesi Mutilana aut Sarsinatensi suum ipsi figere velint domicilium, ac insuper ut documenta omnia paroecias ut supra separatas earumque incolas respicientia, a Cancellaria Mutilanae dioecesis extrahantur atque debita forma Sarsanatensi tradantur, in eadem in posterum quam diligentissime servanda.

Cetera vero omnia quae legitime acquisita aut constituta sint, quibusque nulla per praesens Decretum immutatio aut derogatio inducta fuerit, ea Beatitudo Sua firma ac rata, prouti antea erant, manere debere statuit.

Ad praemissa demum exsequenda eadem Beatitudo Sua deputari voluit cum facultatibus necessariis et opportunis etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quamcumque aliam personam in ecclesiastica dignitate constitutam, itemque definitive pronunciandi super quacumque oppositione in exsequutionis actu quomodolibet oritura, R. P. D. Paschalem Mor-

ganti, Ravennatensis Metropolitanae Ecclesiae Archiepiscopum, iniuncta eidem obligatione intra tres menses ad Sacram hanc Congregationem transmittendi exemplar, authentica forma exaratum, exsequutionis peractae, et praesens hisce de rebus edi voluit Consistoriale Decretum, perinde valiturum ac si super iisdem Apostolicae Litterae sub plumbo vel sub annulo Piscatoris expeditae fuissent, et inter acta referri Sacrae huius Congregationis Consistorialis.

Datum Romae hac die XXV Martii, anno Domini MCMVIII.

Pro R. P. D. SECRETARIO
IVLIVS GRAZIOLI
S. C. Consistorialis et Secretariae S. Collegii
Substitutus.

EPISTOLA

VENERABILIBVS FRATRIBVS
LVDOVICO NAZARIO ARCHIEPISCOPO QVEBECENSI
CETERISQVE ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS
FOEDERATARVM CIVITATVM CANADENSIVM

PIVS PP. X

VENERABILES FRATRES
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Immortalia promerita aut praeclare facta maiorum certis destinatisque intervallis celebrari publice, aequum est valde atque opportunum; suadet id enim pietas quaedam et officium grati memorisque animi; et praeterea magnarum recordatio virtutum non parum habet admonitionis et hortamenti ad communem salutem. Id ipsum apud vos factum iri intelligimus in proximum mensem Iunium, exeunte saeculo simul tertio post urbem Quebecum conditam, et altero post quam Franciscus de Montmorency Laval excessit e vivis. Profecto si magnitudo viri spectetur, si urbis auctoritas, apparet satis esse causae, cur nobilis Canadensium natio duplicis rei memoriam singularibus solemnibus honestare velit: quin immo non est mirum, etiam ultra vestros fines tantam commotam esse conspirationem animorum ad haec

apparanda solemnia, ut iam nunc liceat prospicere, celeberrima ea fore ac splendidissima.

Iamvero in isto quasi concentu gratulantium filiorum, vocem desiderari Nostram non patitur peculiaris illa caritas et necessitudo, qua vobiscum coniuncti sumus. Is enim rerum vestrarum est cursus ut, quum in omni genere civilis cultus cum politissima quaque gente contenditis, tum, quod ad custodiam avitae religionis attinet, nulli concedere videamini. Nempe florere istic ac vigere scimus divino munere christiana instituta; neque solum in moribus privatorum spirare professionem catholici nominis, sed etiam in actione communis vitae, uti par est, atque in ipsa disciplina ac temperatione civitatis. Accedit, quod Ecclesiam istic tanta frui libertatis copia cernimus, quanta fortasse nusquam alibi: in quo praeter virtutem et constantiam catholicorum civium, aequitatem etiam regiminis Britannici libenter agnoscimus. Praecipuum autem quemdam gaudii fructum capimus ex pietate erga Nos vestra. Nam si exploratissimam vos habetis Romani Pontificis in vos benevolentiam, non minus compertum Nobis est plenum amoris et obsequii studium quo Vicarium Iesu Christi vos colitis: quod quidem luculenter apparuit recenti memoria, quum, tentato perduellium armis principatu civili, frequens ante alios Pontifici Canadensis pubes adfuit, parata certaque pro iuribus Apostolicae Sedis vitam profundere. At enim, quum Canadensem populum ita laudamus ob merita, hae laudes magnam partem ad vos, Venerabiles Fratres, clerumque vestrum pertinet, atque etiam ad eos omnes de numero laicorum, qui vobis in religiosa tuenda promovendaque re operam navant: vestra quippe potissimum vigilantia et

cura, horum autem sedulitate industriaque fit, ut ista Ecclesia et parta retineat decora et in meliora nitatur.

Quare intelligitis quam libenti Nos animo in partem veniamus communis laetitiae vestrae: quod praeterea multo libentius facimus ob eam causam, quia ex occasione horum solemnium proclive erit recordari, quantum gens Canadensis a suis primordiis ad hodiernum diem catholicae religioni Ecclesiaeque debeat. Iam in ultima originum vestrarum memoria eminet atque exstat Samuel de Champlain, natione Gallus, vir ingenio generosaque virtute egregius, maxime autem studio christianae sapientiae: qui a Rege Galliarum istuc deducendae coloniae causa missus, nihil antiquius habuit quam ut catholicum nomen per istas regiones propagaret; recte enim censuit non se suo regi servire melius posse, quam si Iesu Christi gloriae serviret. Itaque primum omnium, fundato dedicatoque templo, initia consecrat Quebecensis urbis, quae centrum quoddam futura esset unde in immensas septentrionalis Americae plagas beneficia christianae humanitatis influerent. Mox, uberrimae spe segetis proposita, suffragante nimirum Apostolica sede, alias ex aliis elicit ex Gallia virorum apostolicorum manus: quae nimium quantum elaborarunt, ut multitudinem indigenam ex agresti immanique vita erudirent ad Evangelium et mitigarent. Cognitum, ex eo numero Sodales e Societate Iesu praecipue nobilitatos esse, quorum complures acerbissimam in sancto fungendo munere mortem obierunt. Ille autem, quum ita incolarum saluti consulit, tum prudentissime curat, ne quid succrescentibus bene rebus licentia noceat advenarum. Ergo non omnibus promiscue permissum transmigrare in Americam, sed iis tantum quos

constiterit congruenter christiano nomini vivere; si qui male morati in coloniam irrepserint, cautum ut, deprehensi, sine cunctatione domum remittantur. Optimum sane institutum; quod quum etiam qui eum consequuti sunt Gallici administratores coloniae tenuerint, multum valuisse arbitramur ad hanc conservandam in Canadensibus christianae et professionis et vitae integritatem.

Coeptis tam felicibus mirifice perficiendis amplificandis ille divinitus datus est primus Quebecensium Episcopus: qui diuturnum pontificatus sui spatium tot tantisque benefactis illustravit, ut quibus laudibus Canadensis vel Ecclesia vel civitas hodieque ornatur, earum fere omnium procreator et quasi parens ipse exstiterit. Is igitur mandatam sibi a Romano Pontifice provinciam magno animo aggressus, quaecumque in commune bonum feliciter instituta reperit, provehere in maius; quicquid autem novi opportunum fore videt, studiosissime effectum dare. Ita, sacris expeditionibus multo auctis, per omnem superiorem Americam usque ad Mexicanum sinum, quantum scilicet patebat *Nova Gallia,* praecones Evangelii dimittit: his, adiutrices optimas ad omne officium munusque christianae caritatis, addit sanctimoniales foeminas; prohibet diligenter a colonis corruptelarum illecebras, diligentius etiam pericula fidei; et, quo tempore nimis multi Gallicanis erroribus capti, ab obsequio Sedis Apostolicae deficiebant, ipse ad Romanos ritus perfunctionem sacrorum exigit, Clerum maxime suo Romani Pontificatus amore observantiaque imbuit, omni denique solertia fovet et in perpetuum firmat eam Canadensium intimam cum Romano Pontifice coniunctionem, qua Nos tantopere delectari diximus. Magna

sunt haec in rem vestram communem merita: illud arbitramur esse maximum quod ipse Seminarium Quebecense condidit sapientissimeque constituit. Coepit enim inde Canadensis Ecclesia sacerdotibus affluere, qui virtute doctrinaque probe instructi, deditissimi Romano Pontifici et suo quisque Antistiti, colligati inter se caritate fraterna, divinum munus sanctissime administrarent. Ex eadem disciplina nullo non tempore exstitere optimi et civilium rerum peritissimi viri; quorum opera, adnitentibus Episcopis, ea est Canadensi nationi iurium et libertatum quaesita possessio quam hodie obtinet. Manet autem nobile illud pastoralis providentiae monumentum, integramque conservat impressam ab auctore suo formam nativosque spiritus: caput idem et exemplar omnium fere, quae istic sunt, Instituta sacrae praesertim excolendae iuventuti. Nec vero debet hoc praetermitti, quod imo est in praecipua commendatione ponendum Seminarii Quebecensis, ex ipso magnum Lyceum Lavallianum, domicilium doctrinarum et propugnaculum catholicae veritatis insigne, auspice Apostolica Sede et Episcoporum Canadensium ordine, efflоruisse. Postremo ad istam conciliandam concordiam quae potestati ecclesiasticae cum politica auspicato intercedit, Franciscum de Laval exstitisse principem, nullus ignorat: quod quidem etiam causae est, cur in habendis eidem honoribus mirifice qui praesunt civitati vobiscum consentiant.

Tantarum commemoratione rerum, quam proximarum feriarum celebritas afferet, sane quotquot istic sunt Christifideles, omnes excitari decet ad agendas primum Deo publice gratias, cuius beneficio res est Canadensis in hanc amplitudinem provecta, tum ad colendam maiori pietatis

affectu Ecclesiam, quae per filios clarissimos divinae eis benignitatis se ministram praebuit. Communibus hisce studiis vestra praeibit auctoritas, Venerabiles Fratres: quos quidem consentaneum est, quum dignitatis et gloriae hereditatem ceperitis a sanctissimo Episcopo, velle acrius quotidie in exempla eius intueri. Nos, ut saecularia solemnia universae nationi vestrae perquam salutaria eveniant, iam nunc caelestium munerum vobis ubertatem precamur: quorum pignus, itemque testimonium paternae benevolentiae Nostrae, Apostolica sit Benedictio, quam vobis, Venerabiles Fratres, et clero populoque vestro peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXXI Martii MCMVIII, Pontificatus Nostri anno quinto.

PIVS PP. X

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS RESTITVITVR COLLEGIALE CAPITVLVM
AD S. AMBROSII MAIORIS MEDIOLANI

—

PIVS PP. X

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

In persona Beati Petri supremum in Ecclesia Dei Apostolatum, nullis quidem meritis Nostris, sed inscrutabili Providentiae divinae consilio gerentes, quae ad maiorem Dei gloriam spectent et catholico nomini aeternaeque fidelium saluti bene, prospere feliciterque eveniant, sedulo studio ac propensa voluntate praestare satagimus. Hoc sane consilio ad sacras aedes vetustate simul et prisca christiani populi religione percelebres, atque collegia ecclesiasticorum virorum divinas inibi laudes recolentium, oculos mentis Nostrae convertimus, et catholici cultus decori quantum in Domino possumus consulentes, in id potissimum curas cogitationesque Nostras intendimus, nimirum ut quae temporum iniuria obliterata sive imminuta reperiantur, ad pristinum statum revocentur. Pergratum idcirco ac maxime iucundum nuntium accepimus, cum dilectus filius Hieronymus Comi, Praepositus infulatus Abbas ad S. Ambrosii Maioris Mediolani, retulit ad Nos restitui denuo posse eodem in templo Collegiale

Canonicorum Capitulum, supplicesque Nobis humiliter preces adhibuit, ut illud ex integro, interposita Nostra Auctoritate Apostolica, erigamus. Huius enim perinsignis Collegiatae Basilicae Capitulum, quod olim constabat, Praeposito et Archipresbytero comprehensis, duobus de viginti canonicis et novem beneficiatis, ob varias publicarum rerum perturbationes, e veteri splendore ac numero ita excidit, ut modo, canonicalibus praebendis quoad temporalia abrogatis, tantum illae supersint Praepositi et duorum ipsius in curiali munere adiutorum, quae, utpote congruae coadiutorales, absque ulla canonica institutione conferuntur. Ipse vero mitratus Abbas, luculentissimum religionis et patriae caritatis non minus quam filialis erga caelestem patronum devotionis suae documentum perhibens, ut eadem Basilica, praenobilis Mediolanensis urbis decus atque ornamentum, pristinis in sacris functionibus peragendis splendore ac pompa renideat, Capitularem Massam centum millium libellarum italicarum constituit, generosis futuris largitionibus pro certo adaugendam, cuius redditus in chorales distributiones inter praesentes propter amorem Divi Ambrosii erunt erogandi. Nos autem salutare ac frugiferum consilium ex animo commendantes, et eiusdem Praepositi Abbatis munificentiam debito et condigno laudis praeconio in exemplum clero populoque proponentes, amplissimo etiam commendationis officio permoti dilecti Filii Nostri Andreae S. R. E. Presbyteri Cardinalis Ferrari ex dispensatione Apostolica Archiepiscopi Mediolanensis, omnibus rei momentis attente perpensis, de istius Collegiati Capituli restitutione haec quae infra scripta sunt decernenda

existimavimus. Si quidem omnes et singulos quibus Nostrae hae Litterae favent peculiari benevolentia complectentes, et a quibusvis ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, Collegiale Capitulum ad Sancti Ambrosii Maioris Mediolani, Apostolica Nostra Auctoritate, praesentium tenore restituimus de integro, hisce servatis conditionibus ac legibus: I. Praebenda paroecialis S. Ambrosii confirmetur etiam uti praebenda Praepositi Capituli et Abbatis Mitrati S. Ambrosii, cum iure Praefecti Capitulo. II. Renoventur canonicatus Archipresbyteralis, et alii quindecim canonicatus cum iure percipiendi distributiones chorales e massa capitulari provenientes. III. Renoventur et novem beneficiati chorales, nominati ex consuetudine canonici minores, item cum iure participandi choralibus distributionibus inter praesentes. Hos inter comprehendantur titulares duorum beneficiorum recuperatorum, utpote congruae coadiutorales, et alii sacerdotes addicti curae animarum penes Basilicam. IV. Enumeretur in Capitulo canonicatus festivus fundationis Silva, a patronis restitutus. V. Vi transitoriae dispositionis adsciscantur in Capitulum, in respectivis ordinibus, omnes hodierni nominati ab Ordinario. VI. Tam canonici quam beneficiati nominentur in posterum ab Ordinario, accedente pro nominatione canonicorum Capituli consensu. Praeterea de speciali gratia concedimus etiam, ut Abbas pro tempore ad S. Ambrosii Maioris Pontificalia agere possit, cum bona tamen venia Archiepiscopi, in aliis quoque ecclesiis Mediolanensis civitatis ac dioecesis, modo et ritu quo

uti possunt Protonotarii supranumerarii iuxta Constitutionem a Nobis die XXI Februarii mensis anno MCMV Motu proprio editam de Collegio Protonotariorum articulis 27, 28, 29 et 30. Item concedimus ut ubicumque Missam legat cum aliqua solemnitate ipse Abbas, illam celebrare possit iuxta articulum 31 eiusdem Constitutionis. Nihil autem innovantes circa praecedentiam qua gaudent Canonici Ordinarii Metropolitanae Ecclesiae Mediolanensis iuxta Decretum n. 386 Synodi dioecesanae anno MCMII celebratae, necnon iuxta declarationem S. Rituum Congregationis Mediolanensis die x Maii superioris MCMVII anni, volumus quod idem Abbas pro tempore praecedentiam habeat supra praedictos canonicos, non tamen cum ipsi ad aliquam sacram functionem capitulariter conveniant. Tandem canonicis Capituli maioris S. Ambrosii, sic a Nobis restituti, concedimus ut dum capitulariter quamcumque agunt sacram functionem, non tantum usum cappae iuxta indultum praedecessoris Nostri Pii PP. IV, sed et usum vestis laneae, coloris violacei, sine syrmate, quae habeat ocellos, globulos, orae textum, et extremas manicas, sive uti dicunt, paramanus sericos coloris eiusdem, necnon et zonam sericam, pariter violaceam, cum duobus flocculis in extremitatibus. Item eisdem S. Ambrosii canonicis pro tempore concedimus privilegia et insignia, quibus gaudent Apostolici Protonotarii titulares iuxta supra memoratam Constitutionem Nostram sub numeris 63, 64, 66, 67, 68, 70, 73 et 76. Porro haec concedimus ac mandamus non obstantibus fe. rec. Benedicti PP. XIV Nostri praedecessoris super divisione materiarum, aliisque sanctionibus et Constitutionibus Aposto-

licis necnon eiusdem sic restituti Capituli S. Ambrosii, etiam in posterum quavis auctoritate innovatis, quibus omnibus per praesentes derogamus, ceterisque, quamvis speciali licet atque individua mentione ac derogatione dignis, in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die v Aprilis MCMVIII, Pontificatus Nostri anno quinto.

L. ✠ S.

R. CARD. MERRY DEL VAL,
a Secretis Status.

DECRETVM

SACRAE CONGREGATIONIS CONSISTORIALIS
PER LITTERAS APOSTOLICAS SVB PLVMBO EXPEDITVM
QVO CERTVM TERRITORIVM
E DIOECESI DE TRVXILLO IN PERVVIANA REPVBLICA
DISMEMBRATVR
ET IN NOVAM DIOECESIM DE CAJAMARCA NVNCVPANDAM
ERIGITVR

Apostolicam Sedem inter et Peruvianae Reipublicae Rectores actum nuper est ut e territorio Dioecesis de Truxillo, quae suo pastore destituta nuper remansit, certa quaedam pars separaretur atque in novam constitueretur Episcopalem Sedem. Siquidem Cathedralis Ecclesiae de Truxillo territorium plures complectitur provincias, ideoque late adeo patet, ut neque Antistes suis fidelibus necessaria, quibus indigent, salutis subsidia ferre possit, neque cetera omnia quae ad rei sacrae procurationem pertinent, ea qua decet sollicitudine, expediri queant.

Cum itaque proposita novae Dioecesis erectio opportuna quam maxime visa sit, SSmus D. N. Pius PP. X, exquisita antea, uti rei gravitas expostulabat, sententia Sacri Consilii S. R. E. Cardinalium qui Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis expediendis praepositi sunt, Peruviani Gubernii votis obsecundandum censuit.

Eapropter Beatitudo Sua, suppleto, quatenus opus sit, quorumcumque in hac re interesse habentium vel habere praesumentium consensu; quod bonum, faustum felixque sit, Dei gloriae atque spirituali fidelium bono promovendo benevertat, e dioecesis de Truxillo territorio provincias *Cajamarca, Cajabamba, Chota, Celendin, Contumazá, Jaén* atque *Patáz* vulgo appellatas, de Apostolicae potestatis plenitudine, seiungere, easque in separatam erigere dioecesim decrevit, prout sequitur.

I.

In primis itaque Sanctitas Sua universum territorium provinciis constitutum, quibus vulgo nomen *Cajamarca, Cajabamba, Chota, Celendin, Contumazá, Jaén* et *Patáz,* hactenus dioecesi de Truxillo adnexum et subiectum, ab hac dioecesi de Apostolicae potestatis plenitudine disiunxit, separavit et avulsit, ipsumque in novam instituit atque erexit Dioecesim, ab urbe Cajamarca appellandam, ubi novus Episcopus eiusque in perpetuum successores residere semper debebunt, omnesque incolas utriusque sexus sive laicos, sive clericos vel religiosos, non tamen exemptos, intra earumdem provinciarum fines commorantes, itemque Ecclesias, Conventus, Monasteria et pia quaevis loca, si quae in territorio, ut supra, separato exsistant et alia quaecumque saecularia ac regularia beneficia ab Ordinarii Episcopi de Truxillo iurisdictione atque ab omni Capituli Cathedralis eiusdem Dioecesis iure perpetuo exemit et subtraxit, atque futuro episcopalis Ecclesiae de Cajamarca Praesuli pro suis civitate, territorio, clero et populo supposuit atque subiecit.

II.

Novae igitur dioecesis de Cajamarca fines iidem prorsus erunt ac ii quibus regio universa ex supra enumeratis provinciis constituta secundum civilem circumscriptionem actu circumscribitur, atque a finitimis regionibus seu provinciis separatur.

III.

Urbem Cajamarca, provinciae eiusdem nominis principem, in novae Dioecesis civitatem episcopalem Sanctitas Sua deinde erexit, eidemque iura omnia, praerogativas et privilegia, quibus ceterae in Peruviana Republica civitates episcopali Sede decoratae earumque cives fruuntur et gaudent, concessit et indulsit.

IV.

Ecclesiam in eadem civitate Deo in honorem S. Catharinae Virginis et Martyris sacram Beatitudo Sua in Dioecesis de Cajamarca Cathedralem ecclesiam sub eodem titulo et invocatione constituere dignata est, et in ea Sedem et dignitatem episcopalem pro uno Episcopo, de Cajamarca appellando, qui eidem Ecclesiae eidemque civitati et dioecesi praesit, Synodum convocet, et omnia et singula iura, officia et munia episcopalia habeat et exerceat cum suis Capitulo, mensa episcopali, ceterisque cathedralibus et pontificalibus insignibus, iurisdictionibus, praerogativis, privilegiis, honoribus, gratiis et indultis realibus, personalibus et mixtis, quibus reliquae Cathedrales Ecclesiae in Peruviana Repu-

blica exsistentes, earumque Praesules, non tamen oneroso titulo aut peculiari indulto, fruuntur et frui poterunt, de Apostolicae potestatis plenitudine erigere et constituere.

V.

Ad dotem autem quod attinet novae huius dioecesis, cum Peruvianum Gubernium secundum Apostolicas Litteras quarum initium *Praeclara inter Beneficia,* die v mensis Martii anno Domini MDCCCLXXV datas, quibus patronatus ius super Cathedrales Peruvianae Reipublicae Ecclesias eiusdem Reipublicae Praesidi conlatum est, episcopali Sedi de Cajamaca eosdem redditus ex aerario publico solvendos se praestiturum spoponderit ac illi quibus Puniensis Dioecesis fruitur, Sanctitas Sua hosce redditus Dioecesi de Cajamarca pro eius mensa adsignat et attribuit, ut Cajamarcensis Episcopus redditibus iisdem et suae dignitatis decorem tueri possit et Dioecesis necessitatibus occurrere.

VI.

Novae huius dioecesis de Cajamarca futuro Episcopo mandavit Beatitudo Sua, ut Cathedrale Capitulum, secundum Sacrosanctae Tridentinae Synodi decreta, ubi primum fieri poterit, instituendum curet, servato Canonicorum numero, iisdemque servatis Dignitatibus, quibus cetera in Peruviana Republica Capitula Cathedralia constant. Interea, donec Capitulum ipsum canonice erectum fuerit, Episcopus in praestantioribus suae Dioecesis negotiis consilium sibi e probatis ecclesiasticis viris assumat, eorumque prudentia utatur.

VII.

Ubi vero Cathedrale Capitulum canonice erectum fuerit, Sanctitas Sua facultatem ipsi benigne concessit statuta, ordinationes et decreta, Apostolicis constitutionibus, Tridentinae praesertim Synodi canonibus consona, condendi et edendi sub Ordinarii tamen consensu et adprobatione, itemque facultatem privilegiis omnibus utendi, quibus alia in Peruviana Republica constituta Cathedralia Capitula fruuntur et gaudent; iis tantum exceptis, quae oneroso titulo aut peculiari indulto obtenta vel concessa fuerint.

VIII.

Mandavit insuper Beatitudo Sua, ut futurus Episcopus de Cajamarca impigram sedulamque det operam Clericorum Seminario, secundum Sacrosancti Tridentini Concilii decreta, ubi primum fieri poterit, instituendo, in quo adolescentes qui Ecclesiae servitio se mancipare volunt, excipiantur, ad pietatis officia informentur, ac sacris erudiantur disciplinis ad mentem Divi Thomae tradendis.

IX.

Cum vero in Urbe Collegium Pium Latinum Americanum exsistat, ex quo summa cum Americae Latinae dioecesum utilitate praeclari prodierunt Evangelii praecones et animarum rectores, praecepit Sanctitas Sua, ut quemadmodum ex ceteris Peruvianae Reipublicae dioecesibus, ita ex nova hac de Cajamarca, bini ad illud, secundum ea quae in Concilio plenario totius Americae Latinae Romae anno MDCCCXCIX habito statuta

sunt, quamprimum mittantur clerici, inter eos qui ingenii nobilitate ac virtute praestant, seligendi, idque in posterum non intermissa vice fiat. Quin imo quo stabilius et Clericorum ipsorum institutioni sit provisum et Collegii Pii Latini Americani dotationi, vehementer exoptat eadem Sanctitas Sua ut dioecesis de Cajamarca Praesules, quo citius fieri poterit, tot bona conferant quod necesse est ut ex eorum redditibus duo iidem clerici aut saltem unus ex ipsis sustentari possint, eosque redditus, ubi primum percipiantur, Collegio eidem Pio Latino Americano Beatitudo Sua in perpetuum attribuit et adsignat.

X.

Item voluit Sanctitas Sua ut documenta omnia personas vel loca respicientia, quae Antistitis de Truxillo iurisdictioni hucusque subiecta fuere ac praesenti consistoriali Decreto novae Dioecesi de Cajamarca addicta sunt, e Cancellaria Curiae Episcopalis de Truxillo extrahantur ac debita forma noviter erectae Episcopalis Sedis Cancellariae tradantur, in ea in posterum fideliter servanda.

XI.

Novam Cathedralem Ecclesiam de Cajamarca tali modo erectam Beatitudo Sua suffraganeam constituit Metropolitanae Ecclesiae Limanae eiusque Archiepiscopi metropolitico iuri submisit atque subiecit.

XII.

In hac episcopali Ecclesia da Cajamarca erigenda eiusque limitibus designandis Sanctitas Sua Sibi et Apostolicae Sedi

facultatem expresse reservavit, novam eiusdem dioecesis dismembrationem vel finium circumscriptionem ineundi, quandocumque id in Domino opportunum visum fuerit, nullo in id Episcopi aut Capituli Cathedralis de Cajamarca adsensu requisito, nullave attributa territoriali compensatione.

XIII.

Cetera demum omnia quae res, iura aut personas respiciunt, quaeque in hoc Consistoriali Decreto expresse memorata non sunt, Beatitudo Sua voluit firma ac rata iuxta sacros canones manere debere. Nullum proinde ex novae huius cathedralis Ecclesiae de Cajamarca erectione damnum aut praeiudicium Dioecesi de Truxillo in iis quae aut eius constitutionem respiciunt, aut eius dotem, est inferendum, vel consequi debet. Quod si qua difficultas aut controversia circa praemissa in posterum oriatur, ea ad Apostolicam Sedem erit deferenda, quae, omnibus mature perpensis, prout de iure decernet.

XIV.

Sanctitas Sua, attenta temporum conditione, noviter erectam episcopalem Ecclesiam de Cajamarca in florenos auri de Camera triginta tres cum tertia floreni parte taxari voluit, et huiusmodi taxam in libris Camerae Apostolicae de more describi.

XV.

Ad praemissa demum exsequenda Beatitudo Sua deputari voluit R. P. D. Angelum Dolci, Archiepiscopum tit. Nazian-

zenum et in Peruviana Republica Delegatum Apostolicum, cum facultatibus necessariis et opportunis, etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quamcumque aliam personam in ecclesiastica dignitate constitutam, nec non definitive pronunciandi super quavis oppositione in exsecutionis actu quomodolibet oritura, iniuncta eidem obligatione authenticum exemplar exsecutionis peractae intra sex menses ad Sacram hanc Consistorialem Congregationem transmittendi et praesens super praemissis fieri voluit Consistoriale Decretum, per Litteras Apostolicas sub plumbo expediendum, et Decretum ipsum inter acta servari mandavit Sacrae huius Congregationis Consistorialis.

Datum Romae hac die VI Aprilis, anno Domini MCMVIII.

A. CARD. AGLIARDI. *Vice-Cancellarius.*

L. SCHÜLLER, Abb. F. SANTOVETTI, Abb.

Reg. in Can. Ap. N. 364/08

VISA
M. RIGGI C. A. NOT.

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
CLAVDIO S. R. E. PRESB. CARD. VASZARY
ARCHIEPISCOPO STRIGONIENSI
STRIGONIVM

—

PIVS PP. X

DILECTE FILI NOSTER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Avertente hoc anno Sacerdotii Nostri quinquagesimo, non cessat divino munere catholicus orbis, praeeuntibus Episcopis, suam Nobis pietatem multipliciter testari: quae testimonia eo maxime Nos recreant, quia Ecclesiae sanctae unitatem praeclare illustrant atque confirmant. In hoc genere nuper se Nobis admodum probarunt Venerabiles Fratres ex Hungaria, qui, quum de more inter se convenissent, te usi sunt interprete, ut communia vota studiaque Nobis significarent. Equidem his delectati sumus plenis amoris fideique litteris: quamquam de vestro erga Nos animo dubium Nobis numquam fuit. Quod grate ea commemorastis quae pro christiani populi salute gessimus, libenter amplectimur tale officium; praesertim quia vestram Nobis diligentiam nec defuisse nec defore certo scimus. Illud eo libentius intelligimus, omnem vos dare operam, ut coniunctissimam Apo-

stolicae Sedi retineatis Hungariam; ad eamque fovendam necessitudinem non parum posse immortalium beneficiorum memoriam, quibus civitatem vestram Romani Pontifices ornarunt. De pastorali autem epistola, cuius exemplum adiecistis his litteris, gratum praecipue est, velle vos in Dioecesibus vestris ita sacerdotalis consecrationis Nostrae agi solemnia, ut significationibus piae erga Nos voluntatis comitentur sanctissimi ritus, qui ad recolenda christianae sapientiae praecepta, atque ad expiandos animos celebrari solent. Nos quidem nullum meliorem fructum capere ex hac eventus faustitate possumus, quam si videamus bonos, gratificandi Nobis causâ, studiosius officia christianae vitae colere: idque vos ut in gregibus vestris effectum dare summa ope nitamini, vehementer hortamur. Auspicem interea divinorum munerum, ac testem paternae Nostrae benevolentiae, tibi, dilecte Fili Noster, ceterisque istius nationis Episcopis, et Clero populoque vestro Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die VIII Aprilis MCMVIII, Pontificatus Nostri anno quinto.

PIVS PP. X

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS PRAEFECTVRA APOSTOLICA MAROCHIENSIS
IN VICARIATVM APOSTOLICVM ERIGITVR

—

PIVS PP. X

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Romani Pontifices, qui universam in Ecclesiam sibi divinitus commissa auctoritate pollent, Catholicas Missiones non modo ubique gentium instituere, sed prout maior regionum humanitas vel auctus fidelium numerus postulaverint, eas potioribus iuribus honoribusque ditare consueverunt. Cum vero Missio Marochiensis, curis apostolicis Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Assisiensis iamdiu concredita, ac plurium Martyrum sanguine decorata, tales, favente Deo, fructus dederit ut res catholica in praesentiarum ibidem prospere se habeat; Nos, supremi eiusdem Ordinis Administri precibus benigne exceptis, atque omnibus rei momentis cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis mature perpensis, Apostolicam illam Praefecturam in Vicariatum Apostolicum evehendam esse censuimus. Quare omnes et singulos quibus hae Nostrae Litterae favent, a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore cen-

sentes, Motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, de Apostolicae potestatis Nostrae plenitudine, praesentium tenore, Praefecturam Apostolicam Marochiensem in Vicariatum Apostolicum eiusdem nominis, iisdemque servatis confiniis, erigimus atque instituimus, cum omnibus et singulis iuribus, honoribus, privilegiis, indultis, quae ad huiusmodi Vicariatus Apostolicos pertinent, seu pertinere possunt ac poterunt. Decernentes praesentes Nostras Litteras firmas, validas atque efficaces semper exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et in posterum spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum esse et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, etiam speciali et individua mentione ac derogatione dignis, ceterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XIV Aprilis MCMVIII, Pontificatus Nostri anno quinto.

L. ✠ S.

R. CARD. MERRY DEL VAL,
a Secretis Status.

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS PRAEFECTVRA APOSTOLICA DE SHIRE IN AFRICA
IN VICARIATVM APOSTOLICVM ERIGITVR
PARITER DE SHIRE APPELLATVM

—

PIVS PP. X

AD FVTVRAM REI MEMORIAM

In persona Principis Apostolorum supremum in Ecclesia Dei Apostolatum, nullis quidem meritis Nostris, divinitus gerentes, quae catholico nomini aeternaeque fidelium saluti bene, prospere ac feliciter eveniant, sedulo studio ac propensa voluntate decernere maturamus. Iamvero cum probe noverimus admodum christianam rem, auxiliante Deo, florere in Praefectura Apostolica de Shire in Africa, missionariis commissa Societatis Mariae a Beato Lodovico de Montfort fundatae, ideoque a Superiore Generali eiusdem Instituti postulari ut eadem Praefectura in Vicariatum Apostolicum per Nos erigatur, Nos, collatis consiliis cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, omnibus rei momentis attente perpensis, votis huiusmodi annuendum libenti quidem animo existimavimus. Quae cum ita sint, omnes et singulos quibus Nostrae hae Litterae favent a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis, si quas

forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, Motu proprio et ex certa scientia ac matura deliberatione Nostris deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium vi, Praefecturam Apostolicam de Shire in Africa in Vicariatum Apostolicum erigimus et constituimus, sub pristino nomine de Shire et praesentibus retentis confiniis. Decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat, et in posterum spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum esse et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ceterisque omnibus, speciali licet atque individua mentione ac derogatione dignis, in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XIV Aprilis MCMVIII, Pontificatus Nostri anno quinto.

L. ✠ S.

R. CARD. MERRY DEL VAL.
a Secretis Status.

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
MARIANO ANTONIO ARCHIEPISCOPO BONAËRENSI
BONVM AEREM

—

PIVS PP. X

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Studiosa erga Iesu Christi Vicarium voluntas Argentinorum, Nobis quidem satis superque iam cognita, non miramur si vel luculentior apparet hoc tempore, quum agentes, Dei beneficio, annum sacerdotii Nostri quinquagesimum, praeclaris catholicarum gentium officiis recreamur. Pignus enim sane splendidum istius voluntatis Nobis, te auctore, oblatum est, Venerabilis Frater: qui, quum animadvertisses non admodum decere eum qui personam apud vos gereret Pontificis Romani, id est Parentis publici, habitare in conducto, opitulandum communiter esse censuisti tenuitati Nostrae; consiliumque inivisti, collecta stipe ab omnibus ordinibus civium, comparare domum, Apostolicae Sedi attribuendam uti propriam, in usum Internuntii Apostolici. Equidem, ubi coepti feliciter patrati significationem a te accepimus, quam gratum id accidisset, vicissim significavimus. Nunc autem, quando misisti ad Nos qui solemnem huius

muneris traditionem faceret, occasione libenter utimur testificandi melius animi Nostri; eo magis quod ex allato diagrammate perspicimus ita aedes instructas et ornatas esse, ut nulli vos sumptui pepercisse videamini. Igitur gratias primum tibi, easque merito tuo maximas, agimus et habemus, cuius cura atque instantia nobile monumentum publicae in Nos pietatis constitutum est; tum ceteris omnibus quorum liberalitate exsequi propositum tibi licuit. Christus vero, quoniam ad Ipsum redundat quicquid Vicario Suo confertur officii, quin vos, universos et singulos, uberrime sit remuneraturus, non est dubium. Id certe Nos enixe precamur: in primis, ut quae vobis auspicato intercedit cum successore Beati Petri tanta necessitudinis coniunctio, hanc perpetuo conservet et foveat. Auspicem interea divinorum munerum, ac testem peculiaris benevolentiae Nostrae, tibi, Venerabilis Frater, tuis in Episcopatu Collegis, atque omni Clero et populo Reipublicae Argentinae Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXIV Aprilis MCMVIII, Pontificatus Nostri anno quinto.

PIVS PP. X

EPISTOLA

DILECTIS FILIIS
ALVMNIS COLLEGII THEOLOGICI A S. NICOLAO
OENIPONTEM

—

PIVS PP. X

DILECTI FILII
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Legimus vestras communes litteras, ob solemnia sacerdotii Nostri ad Nos datas; dignasque invenimus adolescentibus iis, quos cognoveramus, cum ad omne officii munus, tum maxime ad obsequium et amorem Apostolicae Sedis rite probeque solere institui. Quam grate autem Nobis fuerint, dicere vix attinet. Sicut in hac acerbitate temporum nihil tam molestum scitis Nobis esse, quam impiam insolentiam certorum hominum, qui cum errorum venenis contumaces instillare spiritus tironibus cleri nituntur, sic existimare facile potestis nihil tam esse iucundum, quam a sacra iuventute testificationes accipere dediti atque obedientis animi, quales a vobis accepimus. In quo ipso naturalis quidam fructus agnoscendus est religiosae vestrae disciplinae. Singulari enim studio vos erga Vicarium Christi Domini affectos esse oportet, quando sacratissimum Cor Iesu tanta colere pietate consuevistis. Atque istam pietatis et religionis laudem

non minus quam incorruptae doctrinae, accurate diligenterque custodiatis, summo opere vos hortamur: nam quandiu hoc fundamento virtutum omnium nixi eritis, nunquam spem falletis quam in vobis Ecclesia collocavit. Nos autem Collegium vestrum qua benevolentia semper prosecuti sumus, prosequi non cessabimus: eiusque pignus Apostolica sit Benedictio, quam ad concilianda divinae gratiae munera vobis et moderatoribus vestris, dilecti Filii, peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die I mensis Martialis MCMVIII, Pontificatus Nostri anno quinto.

PIVS PP. X

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS
VENERABILIS DEI FAMVLVS
GABRIEL A DOLOROSA VIRGINE
EX CONGREGATIONE
CLERIC. REGVL. EXCALCEAT. A CRVCE ET PASSIONE D. N. I. C.
BEATI NOMINE ET HONORIBVS DECORATVR

—

PIVS PP. X .

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Mirabilis in Sanctis suis Deus, omni tempore Ecclesiae Sanctae clara virtutis exempla a fidelibus imitanda proposuit, atque Angelis simillimos interdum excitavit adolescentes, qui, utpote Aloisius Gonzaga, Stanislaus Kotska ac Gerardus Maiella, illecebris mundi florenti aetate posthabitis, cereae in vitium iuventuti exquisitissima pietatis puritatisque testimonia exhiberent. Hos inter iuvenes, qui tanquam a coelo ostensi « consummati in brevi, implerunt tempora multa, placita enim Deo erat anima illorum », iure meritoque accensus est Venerabilis Dei famulus Gabriel a Dolorosa Virgine, quem genuit Umbria, Sanctorum parens et altrix, et qui Sanctorum pariter fastis perinsignem Clericorum Regularium Excalceatorum SSmae Crucis et Passionis D. N. I. C. Congregationem, novo quidem Angelicae

vitae splendore illustravit. Assisii natus a Sancte Possenti et Agnete Frisciotti, piis honestisque coniugibus, kalendis Martiis anno MDCCCXXXVIII, ad Sancti Rufini, eodem in fonte quo Franciscus, lustralibus aquis ablutus est, atque in memoriam Seraphici legiferi Patris Francisco nomen illi fuit. Auspicatissimum pro certo infanti illi omen, qui postea ad instar Divi Francisci Christum Crucifixum et paupertatem tantummodo adamare debuisset. Adhuc puer est matre orbatus, quam immatura mors sustulit, atque a patre, qui civilis gubernatoris munere fungebatur, Spoletum deductus, ibi a Fratribus Scholarum Christianarum religionis ac litterarum rudimenta didicit. Inde missus ad Patrum Societatis Iesu Collegium, doctorum fama ac discipulorum frequentia spectatum, ob acris ingenii non minus quam germanae pietatis praestantiam, amplissimas laudes ac praemia sortitus est. Erat enim in adolescentulo virtuti parissima forma, hilaris, humanus, dicto audiens, venuste dicens, omnium sibi corda devinciebat, omnium admirationem sibi iustis de causis comparabat. Dum sedulam studiis operam daret, aetatis aestu, saeculi blanditiis aliquantum indulgere visus est, sed quem Deus sibi elegerat semel atque iterum gravi morbo tentavit, ut terrena exosus inhiaret ad caelestia: donec a Beatissima Dei Matre, superni amoris iaculo ex Sacra Icone mire perculsus, illico divinam novit voluntatem, et quod iam cogitaverat puer, se ad vitam religiosam suscipiendam vocatum persensit. Continuo propositum genitori aperit; se asperam Clericorum Passionis D. N. I. C. vitam elegisse fatetur, omnibusque difficultatibus, quibus a propinquis et amicis circumveniebatur, expeditus, visitato prius filiali affectu Lauretanae

Virginis Sanctuario, die x Septembris mensis anno MDCCCLVI, ad recessum Morrovallensem Patrum a Cruce et Passione Christi, optatissimum veluti in portum, convolavit. Vix tirocinium posuerat, assumpto religionis habitu et nomine Gabrielis a Dolorosa Virgine, cum initae vitae statum genitori per litteras describens, ac si cum aspera veste novum sibi hominem induisset, sacri illius recessus quietem ac dulcedinem summopere commendat, saecularibus spectaculis ac solatiis minime comparandam. Quare ex toto corde mundo valedixit, atque in ipso exordio, christianae perfectionis formam in omnibus actis apprime referre visus, tironibus non modo, sed provectioribus etiam sodalibus absolutissimum omnium virtutum exemplar exstitit. Tirocinio summa cum laude expleto, die XXII Septembris mensis sequentis anni MDCCCLVII, altera feria infra octavam festivitatis Virginis Dolorosae, caelesti perfusus laetitia, religiosa vota nuncupavit. Ex his sensit se arctius Deo devinctum ad perfectiora teneri. Itaque regularis disciplinae observantissimus, ne in minimis quidem illi defuit. Admirabilis in eo dimissio animi, angelica corporis modestia, assiduum orandi studium. Erga omnes comes et affabilis, in se unum rigidus ac durus. Igitur in omnibus actionibus totus in Deo exsultavit ut gigas ad currendam viam perfectionis ac sanctimoniae. Itaque paupertatem, castimoniam, caritatem, obedientiam, singulari prorsus amore prosecutus est, atque in exercitatione uniuscuiusque virtutis ita enituit ac si ceteris posthabitis illam unam omni sedulitate excoluisset. Paupertatem et humilitatem ita dilexit ut in victu cultuque vilissima quaeque semper requireret, vestibus uteretur obsoletis, angustiorem cellam libens habi-

taret, dimissiora officia hilari vultu impleret. Obedientiae votum mirandum in modum servavit praepositis subditus, ac nulla unquam interposita mora mandatis obtemperans. Vigili ac perenni sensuum omnium et oculorum potissimum castigatione, innocentiae lilium ad pretiosam usque in conspectu Domini mortem incontaminatum retinuit. Sed Venerabilis Dei famulus Gabriel praestitit summopere in spiritus interioris exercitio. Dum continenti meditatione Passionis Divini Redemptoris mysterium recoleret, saepenumero ex eius corde ardentes in Crucifixum adspirationes manabant. Sanctam vero Dei Genitricem tam vehementi affectu complectebatur, ut nihil ei suavius esset iucundiusque, quam matris nomine illam compellare, atque omnibus filialis pietatis officiis venerari. Saepe in obtutu Virginis defixus atque haerens, tanto aestuabat ardore ut caelestis ille ignis ex ore ipso vultuque emicaret. Ordinibus minoribus initiatus, ob temporum iniquitatem et civiles turbulentias, ad maiores promoveri nequivit, et humilis corde Dei famulus non sine interiori laetitia, se ad Domini voluntatem libens conformavit. Tot tantisque singularibus virtutibus ornatus Gabriel in asceteriis, in quibus diversatus est, plebis Taurinae in dioecesi Camerinensi et Insulae in Dioecesi Pinnensi, nedum inter religiosos confratres, verum etiam apud extraneos sanctitatis fama coepit inclarescere. Conventuum Moderatores illum sodalibus in exemplum dabant, quotquot Gabrielem forte vidissent adspectu tantum ad devotionem excitabantur, qui cum ipso colloqui poterant recreati ac meliores abibant. Sed caelo dignior quam terris, in recessu Insulae Pinnensis, phthisi correptus ac diuturna febri consumptus, proximum mortalis

vitae finem praesentit. Destinati morbi dolores aequo animo passus, dissolvi cupiens et cum Christo esse, imminentis mortis nuntium laetus excepit. Plures per dies moerentibus confratribus morientis Dei famuli cubiculum schola virtutum fuit; donec Ecclesiae Sacramentis rite munitus ac magis caritatis fervore quam morbi vi consummatus, Iesum, Ioseph, Mariam suaviter invocans, placidissimo exitu animam efflavit die XXVII mensis Februarii anno MDCCCLXII, aetatis suae vigesimo quarto. Quae de Venerabilis Dei famuli Gabrielis a Dolorosa Virgine sanctitate invaluerat opinio, magis ac magis, postquam e vivis excessit, percrebuit, accedente potissimum prodigiorum celebritate. Etenim quae abdita virtus existimationi hominum viventem eripuerat, hunc suo tempore, mirandum in modum, divina potentia caelestibus signis plena in luce collocavit. Et sane lapsis ab eius decessu triginta annis, cum mortales Venerabilis Dei famuli exuviae solemni ritu exhumatae ac recognitae fuerunt, plurima eaque splendida prodigia quae Ecclesiae nascentis illustrarunt exordium, penes illius sepulchrum renovari visa sunt; et statim fortunatus ille recessus Pinnensis Insulae ubi eaedem pretiosae reliquiae asservantur, coepit miraculorum copia ita clarescere, ut non sine magno spirituali populorum emolumento, piarum peregrinationum ad hunc diem meta sit, non intermisso fidelium turmatim confluentium concursu. Sepulchrum eius continuo Sanctuarium factum, ex quo, veluti ex fonte perennis haustus, mirae divinae voluntatis significationes manarunt et manant. Quare penes Sacrorum Rituum Congregationem mature causa agitari coepta est. Decessor Noster sa. me. Leo PP. XIII, per Decretum die VII Iulii anno MDCCCXCVI editum, Causae ipsius

Introductionis Commissionem signavit, Nosque, iuridicis inquisitionibus rite persolutis auditisque testimoniis, per Decretum pridie Idus Maias anno MDCCCCV datum, Venerabilis Dei famuli Gabrielis a Dolorosa Virgine virtutes heroicum attigisse fastigium asseruimus. Inita est deinde actio super duobus miraculis, quae, Eo deprecante, patrata a Deo ferebantur, omnibusque iuridicis probationibus item rite confectis, per Decretum VII Kalendas Februarias vertentis anni MDCCCCVIII evulgatum, de ipsis duobus miraculis constare ediximus. Cum autem de virtutibus, ac de miraculis cum esset iudicium prolatum, unum supererat inquirendum, nimirum ut Venerabiles Fratres Nostri S. R. E. Cardinales Congregationi S. Rituum praepositi interrogarentur utrum Beatorum Caelitum honores Venerabili Deo famulo Gabrieli a Dolorosa Virgine decerni tuto possent. Hoc praestitit dilectus Filius Noster Dominicus S. R. Ecclesiae Cardinalis Ferrata, Causae relator, in generali conventu coram Nobis in Vaticanis aedibus die IV ante Kalendas Maias vertentis anni habito, omnesque tum memorati Cardinales, tum qui aderant Patres Consultores affirmative responderunt. Nos vero ab aperienda mente Nostra supersedimus, rati exorare Deum oportere ante edendum in re tam gravi supremum iudicium. Quod cum impense fecissemus, tandem die Inventioni SSmae Crucis sacro huius anni, Eucharistico litato Sacrificio, accitis et adstantibus Seraphino S. R. E. Cardinali Cretoni, S. Rituum Congregationi Praefecto, et Dominico S. R. E. Cardinali Ferrata, Causae Ponente, una cum Venerabili Fratre Diomede Panici Archiepiscopo tit. Laodiceno, eiusdem Congregationis Secretario, nec non Reverendo Patre Alexandro Verde, Sanctae Fidei Pro-

motore, solemni decreto sanximus tuto procedi posse ad solemnem Venerabilis Dei famuli Gabrielis a Dolorosa Virgine Beatificationem.

Quare cum haec omnia ita sint, Nos precibus permoti Congregationis Clericorum Regularium Excalceatorum Sanctissimae Crucis et Passionis D. N. I. C., auctoritate Nostra Apostolica, harum Litterarum vi, facultatem facimus ut Venerabilis Dei famulus Gabriel a Dolorosa Virgine, Clericus professus eiusdem Congregationis a Cruce et Passione Domini, Beati nomine in posterum nuncupetur, eiusque corpus et lypsana seu reliquiae, non tamen in solemnibus supplicationibus deferendae, publicae fidelium venerationi proponantur, atque imagines radiis decorentur. Praeterea eadem Apostolica Nostra auctoritate concedimus, ut de illo recitetur Officium et Missa celebretur singulis annis de communi Confessorum non Pontificum cum orationibus propriis a Nobis approbatis. Eiusmodi vero Missae celebrationem et Officii recitationem fieri dumtaxat concedimus in Dioecesi Pinnensi et in omnibus Ecclesiis atque Oratoriis, quibus ubique terrarum utitur religiosa Congregatio tam Clericorum quam Monialium a Cruce et Passione D. N. I. C., ab omnibus fidelibus tam saecularibus quam regularibus qui Horas canonicas recitare teneantur, et quod ad Missas attinet ab omnibus sacerdotibus ad templa in quibus Beati eiusdem festum agitur confluentibus, servato Decreto S. Rituum Congregationis sub numero ter millesimo octingentesimo sexagesimo secundo *Urbis et Orbis,* die IX Decembris mensis anno MDCCCXCV. Denique concedimus ut solemnia beatificationis Venerabilis Dei famuli Gabrielis a Dolorosa Virgine in Dioecesi ac templis supradictis cele-

brentur ad normam Decreti seu Instructionis Sacrorum Rituum Congregationis diei XVI Decembris anni MCMII de triduo intra annum a beatificatione solemniter celebrando, quod quidem statis legitima auctoritate diebus fieri praecipimus intra annum postquam eadem solemnia in Basilica Vaticana fuerint celebrata. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ac Decretis de non cultu editis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut harum litterarum exemplis, etiam impressis, dummodo manu Secretarii dictae Rituum Congregationis subscripta sint, et sigillo Praefecti munita, eadem prorsus fides habeatur, quae Nostrae voluntatis significationi, hisce litteris ostensis, haberetur. Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die III Maii MCMVIII, Pontificatus Nostri anno quinto.

L. ✠ S.

R. CARD. MERRY DEL VAL,
a Secretis Status.

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
MIECISLAO EPISCOPO SAMOGITIENSI
SAMOGITIAM (KOVNO)

—

PIVS PP. X

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Tibi quidem, quina lustra Episcopatus explenti, cum clerus populusque tuus gratulari communiter gestiat in proximum mensem Iunium, vehementer eos cupere intelligimus, ut ad illas filiorum significationes aliqua benevolentiae Nostrae accedat significatio. Nos vero, qui, aeque ac Decessor Noster, pro tua tuendae religionis constantia, pro studio quo salutem animarum curas, pro fide et observantia qua Nos et Apostolicam Sedem colis, te admodum diligimus et habemus carum, has ad te damus libenter litteras, non tam ut piae ipsorum voluntati satisfaciamus, quam ut Nostrae caritati. Sed tamen Nos haec tuorum in te studia et officia valde delectant; quae pastoralis diligentiae tuae, cum fructum tibi, tum argumentum Nobis afferunt. Itaque omnia tibi fausta optamus ex animo: illud autem maxime, quod bono Episcopo est optatissimum, ut quotquot habes in tuo grege, eos omnes et videas diligere inter se fraternis

animis, et tecum summa pietate coniunctos experiare quoad vita suppetet, idque in annos multos. Auspicem interea divinorum munerum, ac testem praecipuae benevolentiae Nostrae, tibi, Venerabilis Frater, et universis et singulis tuae curae concreditis Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die v Maii MCMVIII, Pontificatus Nostri anno quinto.

PIVS PP. X

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
RAINERIO EPISCOPO MACERATENSI
MACERATAM

—

PIVS PP. X

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM RENEDICTIONEM

Nobis non minus, quam Decessori Nostro fuerit, scias esse curae, ut opus istic honori Mariae Immaculatae institutum, idque magnam partem confectum, iam perfici brevi liceat et absolvi: aedem dicimus, in qua ex piorum stipibus molienda iamdudum dilecti filii Iosephi Iacoboni desudat industria. Nempe, quum honos agitur et cultus Virginis Beatissimae, a cuius maxime patrocinio salutem et pacem Ecclesiae, his miseris temporibus, exspectamus, consentaneum est, non modo Nos concedere nulli, sed omnibus antecedere. Velimus equidem eas Nobis esse facultates, ut reliquos, qui faciendi sunt in hanc aedem, sumptus suppeditare possimus. Sed, quoniam id tenuitas Nostra non patitur, tribuimus libenter quod possumus; ad teque cum his litteris signum eburneum mittimus S. Sebastiani Martyris, quod bonis ex Italia ad rem pro opibus adiuvandam sit incitamento. Hanc vero causam Curiones praecipue commendatam

sibi a Nobis habeant: omnesque intelligant, qui stipis aliquid contulerint, se et peculiarem Deiparae favorem sibi conciliasse, et Nobis per solemnia Sacerdotii Nostri gratum pietatis suae testimonium dedisse. Eisdem, secundum te, Venerabilis Frater, et dilectum eum Filium, quem laudavimus, Apostolicam Benedictionem, auspicem divinorum munerum, amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XII Maii MCMVIII, Pontificatus Nostri anno quinto.

PIVS PP. X

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
BERNARDO EPISCOPO ROFFENSI
RVCVPAS

—

PIVS PP. X

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Proximo mense Iulio, cum Episcopalis honoris quadragesimum complebis annum, Clerus populusque tuus, ut audimus, magnas observantiae et amoris tibi significationes dabit. Et merito quidem: novimus tuum divinae gloriae et animarum salutis perpetuum studium; novimus te, cum omnia boni pastoris obires diligenter officia, praecipuam semper adhibuisse curam iuventuti, praesertim sacrae, rite instituendae: quae res profecto tanta est, ut nihil Ecclesiae, nihil civitatis magis intersit. Consentaneum est autem, ad eam laetitiam quam ex tuorum pietate mox percipies, cumulum quendam accedere ex benevolentia Nostra: id enim, pro tua erga successorem Petri voluntate et fide, tibi in votis esse, certum habemus. Nos igitur scias, fausta et felicia omnia tibi cupere ex animo: atque hoc maxime a Deo precari Roffensi ecclesiae, ut diu pergat Episcopi tam bene de se merentis et praesentia frui et opera proficere. Divinorumque

auspicem munerum tibi, Venerabilis Frater, tuo Clero ac populo, iis praecipue qui sacram Synaxim per tua solemnia celebrabunt, Apostolicam Benedictionem amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xx Maii MCMVIII, Pontificatus Nostri anno quinto.

PIVS PP. X

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
IVLIO S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI BOSCHI
ARCHIEPISCOPO FERRARIENSI
ET VENERABILIBVS FRATRIBVS
CETERIS ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS
REGIONIS AEMILIAE

—

PIVS PP. X

DILECTE FILI NOSTER ET VENERABILES FRATRES
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Si, quem nuper habuistis Bononiae solemnem conventum, eum vobis licuisset, uti constitueratis, habere Romae, ut Nobis hac celebritate et memoria sacerdotalis consecrationis Nostrae coram gratularemini, id existimare debetis, aeque Nobis futurum fuisse, ac vobis, gratum. Nostis, quo simus in vos animo; ideoque intelligitis, vestra Nos praesentia frui quam vellemus. Nunc autem coactos vos esse supersedere romano itineri, moleste ferimus, neque tam causâ Nostra, quam propter miserabiles eos casus et difficultates temporum, quae iure deploratis. Sed tamen scitote, valde Nos delectatos esse vestris litteris: quibus, utpote pietatis et officii plenis, eum Nobis gaudii fructum attulistis absentes, quem praesentes non potuistis. Praesertim placuit quod con-

firmastis, maximae vobis et esse et fore curae, ut quaecumque Nos in tutelam divinae fidei atque ad instaurandos vulgo christianos mores praescripsimus, omnia pro viribus exsequamini: in primis vero, quae ad bonam sacrae iuventutis institutionem pertinent. Quamquam in hoc genere exploratissima Nobis diligentia vestra nullum relinquebat dubitationi locum. Restat, ut vobis et gratum testemur animum, et divinae benignitatis munera precemur: quod quidem perlibenter facimus; atque utriusque rei pignus Apostolica sit Benedictio, quam vobis, dilecte Fili Noster et Venerabiles Fratres, tum vestro Clero ac populo peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die III Iunii MCMVIII, Pontificatus Nostri anno quinto.

PIVS PP. X

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
HENRICO EPISCOPO COLOSSENSI
VRATISLAVIAM

—

PIVS PP. X

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Propediem, quum quinquaginta sacerdotii tui complebis annos, magnas tibi, ut accepimus, laetitiae atque studii significationes dabunt, quotquot istic sunt, iique plurimi, spectatores virtutis tuae. Praeit in hoc ceteris dilectus Filius Noster Cardinalis Episcopus qui te adiutore utitur, tum istud Canonicorum Collegium, in quo Decani locum obtines; qui quidem se Nobis optimum de tuis meritis iudicium facere ostenderunt. Nos autem, qui ea te benevolentia prosequimur, quam tua erga Nos summa observantia fidesque postulat, sinere non possumus, ut in hac faustitate temporis nullum animi Nostri testimonium habeas. Quare ad omnium, quibus carus es, gratulationes gratulatio accedat Nostra: ad vota hoc votum, ut diu pergas Episcopo Vratislaviensi egregiam pro tua sollertia ac diligentia navare operam in salutem

animarum. Divinorumque auspicem munerum, Apostolicam Benedictionem tibi, Venerabilis Frater, amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die IV Iunii MCMVIII, Pontificatus Nostri anno quinto.

PIVS PP. X

DECRETVM

SACRAE CONGREGATIONIS CONSISTORIALIS
CONSTITVTIONIS NOVAE PROVINCIAE ECCLESIASTICAE
SANCTI PAVLI IN BRASILIA
EVECTIONIS AD DIGNITATEM ARCHIEPISCOPALEM
AC QVINQVE NOVARVM EPISCOPALIVM SEDIVM ERECTIONIS

—

Dioecesium nimiam amplitudinem, praesertim cum ad territorii latitudinem populi quoque accedat frequentia, quam maxime prohibere et officere, quominus rei sacrae procuratio recte geratur, explorata res est. Quod si quibusdam in regionibus dioeceses adhuc exstant quae late nimis patent, id vel ex eo contingit quod rerum adiuncta hactenus prohibuerint quominus dioeceses eaedem in novas alias dividerentur, vel ex eo quod, quamvis latissimo ipsae sint territorio circumscriptae, populi tamen frequentia minime floreant.

Novas enim excitare episcopales Sedes, ex quibus veluti e centro Christianae doctrinae lux in populos effunderetur, quoties id spirituale fidelium bonum requirere visum est, fuit semper praecipua Romanorum Pontificum cura. Cuius quidem Apostolicae Sedis sollicitudinis beneficia Brasiliana in primis Respublica novissimis hisce temporibus experta est, ubi, secundum ipsorum fidelium vota, tot postremis hisce annis novae constitutae sunt dioeceses, ut hae in praesens praeter Abbatiam Nullius dioeceseos Beatae Mariae Virginis

de Monte Serrato, ad numerum ascendant quinque et viginti, cum paucos ante annos vix duodecim numerarentur.

Nuper vero auspicato contigit, ut a fidelibus urbis episcopalis Sancti Pauli in Brasilia aliarumque praecipuarum dioecesis eiusdem, quae totam complectitur Regionem seu Civitatem Sancti Pauli in Brasiliana Republica, Apostolicae Sedi preces admotae fuerint, ut Regionem ipsam universam sex in posterum complecterentur dioeceses, quarum una ipsa esset praesens Sancti Pauli dioecesis, in Metropolitanam constituenda, reliquae essent novae quinque, in praecipuis Regionis eiusdem civitatibus: *Taubaté* nempe, *Botucatú, Campinas, Ribeirão Preto, São Carlos do Pinhal* erigendae, ab iisque Taubatensis, Botucatuensis, Campinensis, de Ribeirão Preto atque Sancti Caroli de Pinhal nuncupandae. Cum autem R. P. D. Leopoldus Duarte e Silva, actu dioecesis Sancti Pauli in Brasilia Episcopus, non modo ut sua dioecesis in quinque novas alias divideretur adsensum praestiterit, sed fidelium vota, pro novis erigendis episcopalibus Sedibus, suo sit apud Apostolicam Sedem favore prosequutus, SSmus Dñus Noster Pius PP. X tantam animorum concordiam admiratus, ac curam et studium plurimi faciens eiusdem Episcopi, spirituali fidelium bono fovendo maxime intenti, exquisita antea, uti rei momentum expostulabat, Sacri Consilii Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium qui negotiis ecclesiasticis extraordinariis expediendis praepositi sunt, sententia, cunctis quae consideranda erant matura deliberatione perpensis, oblatas preces benigne excipiendas censuit.

Quod igitur bonum, faustum felixque sit, Dei gloriae, Religionis incremento ac spirituali fidelium bono provehendo

benevertat, Beatitudo Sua episcopalem Sedem Sancti Pauli in Brasilia ad Sedis Metropolitanae dignitatem evehere, ac novas quinque Cathedrales Ecclesias intra eius limites erigere decrevit in eum, qui sequitur, modum:

I.

Imprimis itaque Beatitudo Sua, potestate utens Sibi et Apostolicae Sedi expresse reservata in Apostolicis Litteris, quarum initium: *Ad universas Orbis Ecclesias*, quinto Kalendas Maii anno Domini MDCCCXCII datis, novam libere ineundi Brasilianae Reipublicae dioecesium finium circumscriptionem, quandocumque id in Domino opportunum visum fuerit, suppressis, de Apostolicae potestatis plenitudine, finibus quibus actu dioecesis Sancti Pauli in Brasilia circumscribitur, totum territorium quod ad eam hactenus pertinuit, in sex dispescit partes, finibus infra designandis inter se discernendas, earumque unam pro nova constituenda in urbe Sancti Pauli archiepiscopali Sede in territorium attribuit, reliquas vero quinque pro quinque novis episcopalibus Ecclesiis, Taubatensi, Botucatuensi, Campinensi, de Ribeirão Preto, atque Sancti Caroli do Pinhal nuncupandis, ac in civitatibus vulgo *Taubaté, Botucatù, Campinas, Ribeirão Preto, São Carlos do Pinhal* appellatis, respective erigendis; omnesque incolas utriusque sexus, sive laicos, sive clericos vel religiosos, non tamen exemptos, intra uniuscuiusque ex quinque partibus fines commorantes, itemque Ecclesias, Conventus, Monasteria, Pia Instituta, intra earumdem partium fines exsistentia, et alia quaecumque saecularia vel regularia beneficia ab ordinaria Praesulis Sancti Pauli in Brasilia iurisdictione omnique

Capituli iure perpetuo eximit, subtrahit, et novis quinque episcopalibus Ecclesiis earumque Praesulibus pro territorio, Clero, et Populo perpetuo supponit subiicitque.

II.

Archidioecesis Sancti Pauli in Brasilia, ut infra constituendae, novi fines linea circumscribentur. initium quae ducit ab Oceani Atlantici promontorio *Ponta do Guarahú*, inter ostia sito duorum fluminum, quorum alteri nomen *Una do Prelado*, alteri *Ribeira do Pirnibe*, quae deinde praeter iuga Montium *dos Itatins*, ad eorum it verticem, ubi aquarum fit divortium fluminum *Pirnibe* et *Preto* ex una parte, et fluminum *Peixe*, *Itariry* et *São Lourencinho* ex altera, a vertice horum montium it, Septemtriones versus, ad flumen Sancti Laurentii; exinde praetervecta, fauces attingit fluminis primi in illud confluentis, quod adversa ex parte, qua flumen *Turvo* scatet, fluit, e quibus faucibus ad scaturigines eius fluminisque *Pirapora* cum pervenerit, et iuga montium attigerit, ubi via ferrea *Sorocabana*, perforato monte, stationem habet cui nomen *Piragibú*, scaturigines petit *Ribeirão Piragibú* usque ad fauces *Ribeirão Tapera Grande*, cuius fluminis per dexteram ripam, ad *Ribeirão* pergit quod ex *Fazenda Eufrazia* fluit: cuius cum scaturigines attigerit, *Ribeirão* petit *da Conceição*, atque inde *Ribeirão do Itahim Guassú*, usque dum hoc flumen in aliud *Tieté* appellatum influit. Huius deinceps fluminis cursu fauces primum, scaturigines deinde attingit *Ribeirão do Ajudante:* atque deinde eo vergit quo confluunt duo flumina *Jundiahy* et *Pirahy:* ad fluminis *Pirahy* scaturigines cum primum atque ad alte-

rius, cui nomen *Gramona,* cum deinde ascenderit, vergit ad *Ribeirâo Santa Ritta,* ut ad flumen redeat *Jundiahy.* Huius *Jundiahy* fluminis cursu, cum fauces *Ribeirâo de Monserrat* attigerit, ad eiusdem scaturigines contendit, atque inde locum petit, quo via ferrea Paulista in divortium incidit aquarum fluminum *Ribeirâo dos Pinheiros* et *Capivary,* ita tamen ut viae ferreae eiusdem statio, de *Louveira* nuncupata, intra fines comprehensa maneat Archidioecesis Sancti Pauli. Eadem linea per aquarum divortium supra nuncupatum cum ad verticem montium vulgo *dos Cocaes* se protenderit, per huius verticis iuga ad *Ribeirâo* pervenit quod e civitate fluit *Itatyba.* Ex *Atibaya* flumine, *Jaquary* flumen versus, linea eadem eo protenditur quo influit *Ribeirâo do Pantano,* atque ita ad iuga montium et inde ad scaturigines *Ribeirâo do Pinhal,* unde ad Septemtriones vergens, flumen attingit *Camanducaia* atque dioecesis de Pouso Alegre fines. Dioecesis huius limites secuta ad *Morro Pellado* Montem pervenit, qui ad iuga pertinet de *Mantiqueira* nuncupata. Hinc per aquarum divortium fluminum *Tieté Parahyba,* fastigium attingit montium *do Itapety,* quorum per verticem, ubi aquarum fit divortium fluminum *Ribeirâo Guararema* et *Paraty,* fluminibus comprehensis, quae influunt in *Ribeirâo Goiabal,* locum attingit quo huius fluminis aquae in flumen *Parahyba* se effundunt. Cuius fluminis sequuta cursum, ad fauces pervenit *Ribeirâo dos Monos,* per quod flumen it ad verticem montium eiusdem nominis, quorum montium verticem sequitur, Occidentem versus, usque ad montem *Ciro da Lagôa Nova* nuncupatum, atque inde per scaturigines fluminis *Una* eo pervenit, ubi hoc flumen in Oceanum influit.

Ad archidioecesis Sancti Pauli in Brasilia territorium insulae quoque spectabunt *Queimada Grande, Queimada Pequena, Santo Amaro,* ceteraeque hisce adiacentes, itemque Aedes Nostrae Dominae sub titulo Apparitionis intra fines novae Taubatensis dioecesis sacra. Aedis autem huius sacrae limites lineam sequentur, initium quae capit e loco quo flumina *Parahyba* et *Ribeirão Sá* confluunt. ac deinde per huius fluminis cursum fastigium petit montis *Morro*, ubi idem flumen caput habet, hinc per verticem eiusdem montis *Morro*, ad scaturigines fluminis *Ponte Alta* pervenit, inde ad aliud flumen *Parahyba*, cuius sequuta cursum, eo redit unde digressa est.

III.

Taubatensis dioecesis territorium linea finietur, quae ab eo Oceani Atlantici loco profecta, ubi archidioecesis Sancti Sebastiani Fluminis Ianuarii et dioecesis Sancti Pauli finitimae olim erant, eiusdem archidioecesis Sancti Sebastiani Fluminis Ianuarii limites primum sequitur, atque deinde eos quibus dioecesis de Pouso Alegre ab Archidioecesis Sancti Pauli territorio, ut supra constituto, separatur, usque tamen ad iuga montium *da Montiqueira*, atque per eadem haec iuga ad montem *Morro Pellado* vulgo nuncupatum, ex quo monte linea eadem, per aquarum divortium fluminum *Tieté-Parahyba*, montium *do Itapety* fastigium petit, quorum iuga montium, quae aquas dividunt fluminum *Guararema* et *Paraty*, secuta, eo contendit ubi *Ribeirão Goiabal* aquae in *Parahyba* flumen se effundunt, ita tamen, ut flumina quae in *Ribeirão Goiabal* influunt, inter Archidioecesis Sancti

Pauli limites comprehensa maneant. Linea deinde eadem *Parahyba* fluminis cursu, *Ribeirão dos Monos* fauces attingit, cumque secus hoc flumen ad verticem ascenderit montium *dos Monos,* horum iuga, Occidentem versus, persequitur usque ad *Bairro da Lagôa Nova,* unde ad scaturigines pergit fluminis *Una,* cuius per cursum ad Atlanticum redit Oceanum. Aedis autem Nostrae Dominae sub titulo de Apparitione sacrae territorium, licet intra supra descriptos limites comprehensum, archidioecesi Sancti Pauli in Brasilia, uti iam statutum est, subiectum erit. Ad Taubatensem tamen dioecesim insulae pertinebunt, quibus vulgo nomen *Montão do Triga, Alcatrazes São Sebastião, Victoria Buzios Porcos, Mar Nivado Compride Couve,* aliaeque intra ostia fluminis *Una* sitae atque Archidioecesis Sancti Sebastiani Fluminis Ianuarii fines.

IV.

Botucatuensis dioecesis limites a promontorio Oceani Atlantici cui nomen *Ponta do Guarahú,* intra ora sito fluminum *Una do Prelato* et *Ribeirão do Pirnibe,* ad locum usque ubi *Ribeirão do Itahym Guassú* in flumen influit *Tieté,* iidem erunt, ac illi qui pro archidioecesi Sancti Pauli in Brasilia constituti supra iam sunt. Exinde dioecesis huius fines, erunt primum idem *Tieté* flumen usque ad eius fauces, atque deinde, usque ad Oceanum Atlanticum, limites quibus Regiones seu Civitates de *Matto Grosso* atque de *Paraná* a Regione seu Civitate Sancti Pauli, secundum civilem circumscriptionem, secernuntur. Praeter haec territoria, Botucatuensi ipsi dioecesi insulae subiicientur, quae *Comprida, Cardoza, Canassea, Bom Abrigo, Moleques* et *Castilho* vulgo nuncupantur.

V.

Campinensis dioecesis territorium linea continebitur, initium quae ducens ab *Eleuterio* flumine, in loco ubi dioeceses De Pouso Alegre atque Sancti Pauli in Brasilia finitimae iam erant, per huius fluminis cursum primum, ac deinde per alterius cui nomen *Mogy Guassú,* ad fauces pergit *Ribeira Catinga,* cuius fluminis secuta cursum usque ad eius scaturigines, ad montes pervenit *do Cuscuzeiro*, atque per horum iuga montium ad eorum verticem *Morro Grande:* hinc cum per cursum fluminis rapidi *Morro Grande* usque ad eius fauces, *Corumbatahy,* atque alterius rapidi fluminis *Lageado,* ad eius usque scaturigines, ad montes ascenderit, per eorum iuga scaturigines attingit *Ribeirão da Serra,* atque secundum hoc flumen ad fauces it *Ribeirão da Cabeça,* ex quibus, huius fluminis secuta cursum, atque fluminis torrentis *Tijuco Preto,* ad montem pervenit *Morro da Guarita.* Exinde eadem linea eo contendit quo aquae fluminis rapidi *Cantagallo* in *Ribeirão Possa Cinco* se effundunt, ut secundum hoc flumen atque flumen rapidum *Cachocira,* ad fastigium primum montium *do Itaquery* perveniat, atque deinde per horum iuga montium, ad locum *Torrinha de Pedra* vulgo nuncupatum. Locum hunc praetervecta, cursum sequitur brachii illius fluminis seu *Ribeirão do Serolepe,* quod, Occidentem versus, extremum est, usque ad eius fauces in flumen *Piracicabea*: hoc flumine, *Tieté* flumen attingit, atque secundum ipsum, *Ribeirão do Ajudante* usque ad eius scaturigines: unde per flumen *Jundiahy* eo contendit, quo *Ribeirão Pirahy* aquae in *Jundiahy* idem flumen influunt. Hinc cum per eiusdem *Ribeirão Pirahy*

atque *Ribeirâo da Gramma* cursum, huius petierit caput, *Ribeirâo Santa Ritta* versus deflectens, hoc flumine, ad *Jundiahy* redit, ut eius attingat fauces. atque ita ad *Ribeirâo de Monserrat* perveniat, eiusque cursum ad scaturigines usque sequatur. Ex hisce scaturiginibus linea eadem eo protenditur, quo via ferrea Paulista in divortium incidit aquarum fluminum *Ribeirâo dos Pinheiros* et *Capivary*, ita tamen ut huius viae ferreae statio *Louveira* intra fines comprehensa maneat archidioecesis Sancti Pauli, cuius archidioecesis fines, supra statutos, deinde secuta, ad *Camanducaia* flumen atque ad fines cum pervenerit dioecesis de Pouso Alegre, per hos fines ad flumen redit *Eleuterio* nuncupatum, unde digressa est.

VI.

Dioecesis de Ribeirâo Preto hac terminabitur linea, quae ab eo fluminis *Eleuterio* loco profecta, ubi fines archidioecesis Sancti Pauli eos attingunt quibus dioecesis de Pouso Alegre circumscribitur, fluminis ipsius *Eleuterio* primum, atque deinde cursum sequitur duorum fluminum *Mogy Guassú* atque *Pardo*, usque ad postremi huius fauces in flumen cui nomen *Rio Grande*, quo flumine, linea eadem ad fines contendit dioecesis de *Uberaba*, quos sequuta, limites attingit dioecesis de Pouso Alegre, usque dum ad eum fluminis *Eleuterio* locum redit ex quo initium duxit.

VII.

Dioecesis Sancti Caroli do Pinhal fines linea describentur, quae e loco initium ducens quo flumina confluunt *Rio Grande*

ac *Pardo,* per huius fluminis atque fluminis *Mogy Guassú* cursum, ad ora pergit *Ribeirão Catinga*, cuius cum scaturigines attigerit, atque ita ad montes pervenerit *do Cuscuzeiro* et ad eorum verticem *Morro Grande*, fluminis rapidi huius nominis cursum sequitur usque ad flumen *Corumbatahy.* Ex quo praetervecta, eadem linea secundum idem *Corumbatahy* flumen atque flumen rapidum *Lageado,* cuius sequitur cursum usque ad origines, montem conscendit, ut scaturigines petat *Ribeirão da Serra*, quo flumine, ad *Ribeirão* pergit *da Cabiça,* atque per ipsum et per rapidum flumen *Tijuco Preto,* ad *Morro da Guarita.* Exinde secundum fines vadit qui Campinensi dioecesi constituti sunt, usque ad *Tieté* flumen, cuius sequuta cursum ad eius usque ora, in flumen *Paraná* incidit, ut secus flumen atque flumen Rio Grande, illuc redeat ex quo processit.

VIII.

Finibus ita tum archidioecesi Sancti Pauli in Brasilia constitutis, tum quinque novis aliis dioecesibus, Sanctitas Sua, dioecesis Sancti Pauli in Brasilia extincto prius statu, ipsam, de Apostolicae potestatis plenitudine, a Metropolitico iure archiepiscopalis Ecclesiae Sancti Sebastiani Fluminis Ianuarii exsolvit atque eximit, ac sub eodem titulo in Metropolitanam constituit, pro uno deinceps Archiepiscopo, ex nomine archidioecesis ipsius Sancti Pauli in Brasilia nuncupando, qui ex aliorum Archiepiscoporum more, atque ex sacrorum canonum praescripto, post postulationem in Consistorio rite faciendam, usu Pallii et Crucis ante se praeferendae privilegio, intra limites tantum suae archidioecesis, fruatur,

aliisque omnibus iuribus, insigniis et honoribus archiepiscopalibus, quae oneroso titulo aut peculiari indulto concessa non sint, ceteris in Brasiliana Republica iam constitutis Archiepiscopis propriis; atque ut ordo Canonicorum Templi maximi Metropolitanus audiat, perpetuo statuit ac decernit.

IX.

Urbes deinde in supradescriptis territoriis praecipuas, quibus vulgo nomen *Taubaté, Botucatú, Campinas, Ribeirão Preto, São Carlos do Pinhal,* Beatitudo Sua in civitates Episcopales pro quinque novis Episcopatibus, ex nomine civitatum earumdem, Taubatensi, Botucatuensi, Campinensi, de Ribeirão Preto atque Sancti Caroli do Pinhal, nuncupandis erigit et constituit, cum iuribus omnibus, honoribus, privilegiis et praerogativis, quibus ceterae in Brasiliana Republica urbes, pontificali Sede insignitae, earumque cives fruuntur et gaudent.

X.

Templa autem quae, iisdem in civitatibus, caelestibus earum patronis erecta iam sunt vel nunc eriguntur, sub eodem titulo et invocatione Sanctitas Sua in Cathedralia constituere dignata est, et in ipsis Sedem et Dignitatem Episcopalem pro uniuscuiusque ex quinque novis dioecesibus Episcopo, secundum nomen dioecesis designando, qui dioecesi sibi commissae praesit, Synodum convocet, atque omnia et singula iura, officia et munia Episcopalia habeat et exerceat cum suis Capitulo, mensa Episcopali, ceterisque cathedralibus et pontificalibus insigniis, iuribus, iurisdictionibus

praeeminentiis, praerogativis, honoribus, privilegiis, gratiis, favoribus et indultis personalibus, realibus et mixtis, quibus aliae in Brasiliana Republica exsistentes Cathedrales Ecclesiae, earumque Praesules, non tamen oneroso titulo aut peculiari ex indulto, gaudent, frui et gaudere poterunt, erigere et constituere.

XI.

Quod pertinet autem ad congrua pecuniae subsidia, quibus tum Archiepiscopus Metropolitanae Ecclesiae Sancti Pauli in Brasilia, tum Episcopi indigent novarum quinque dioecesium, ut cultus expensis aliisque occurrant dioecesanis necessitatibus, Beatitudo Sua in dotem seu mensam novarum praesertim quinque dioecesium, reditus omnes, proventus et bona constituit et adsignat, quae hunc in finem fideles singularum ipsarum dioecesium iam contulerunt atque in posterum conferent. Cum enim novis hisce dioecesibus, sicut et ceteris in Brasiliana Republica, nulla alia bona praesto sint, nisi quae ex pia fidelium liberalitate provenient, minime dubitat eadem Beatitudo Sua, quominus etiam in posterum tum archidioeceseos, tum novarum praesertim dioecesum incolae media suppeditaturi sint, quibus et Episcopis ipsis, et clericorum sustentationi, et dioecesanis operibus sit sufficienter provisum.

XII.

Attenta autem archiepiscopalis Ecclesiae Sancti Pauli in Brasilia praeeminentia, eiusque peculiaribus necessitatibus, Sanctitas Sua Archiepiscopo pro tempore facultatem concedit

oblationes percipiendi, quas, a quovis peculiari onere solutas, fideles Aedi Nostrae Dominae sub titulo de Apparitione sacrae offerent, ita tamen ut postquam ex oblationibus iisdem Aedi sacrae ipsi fuerit provisum, earumdem oblationum certa quaedam pars, quam Exsecutor huius consistorialis Decreti, infra designandus, statuet, in expensas impendatur quas quolibet anno Archiepiscopus Sancti Pauli in Brasilia pro sua archidioecesi sustinere cogitur, reliquum vero in bonis fructiferis constituatur, ex quorum redditibus, prout Exsecutor idem decernet, Archiepiscopus Metropolitanae ipsius Ecclesiae Sancti Pauli in Brasilia necessitatibus occurrere possit. Interim donec id eveniat, Archiepiscopus ad rationem reddendam, quovis anno, de iis quae geret, Episcopis suae provinciae teneatur. Ubi primum vero dos pro archiepiscopali mensa Ecclesiae Sancti Pauli in Brasilia fuerit sufficienter constituta, redditus iidem ex oblationibus provenientes quae Aedi Nostrae Dominae sub titulo de Apparitione sacrae fient, inter novae huius Provinciae ecclesiasticae dioeceses dividentur, ea ratione qua Apostolica Sedes decernet.

XIII.

Novarum episcopalium Sedium Episcopis, ubi primum electi fuerint, curae erit, ut in unoquoque respective Cathedrali Templo, ad instar aliarum Cathedralium Ecclesiarum in Brasiliana Republica, Capitulum Cathedrale, secundum canonicas sanctiones, Concilii praesertim Tridentini decreta, cum primum fieri poterit, erigatur. Ubi primum vero Capitula haec constituta fuerint, iisdem Sanctitas Sua, una cum omnibus privilegiis et insigniis, quibus cetera Cathedralia

Capitula fruuntur, facultatem concedit, statuta, ordinationes et decreta, ad normam sacrorum canonum, conficiendi, quae tamen ab unoquoque respective Praesule approbanda et sancienda erunt. Interim donec Cathedralia eadem Capitula erigi possint, novarum quinque episcopalium Sedium Antistites in maioribus dioecesis negociis expediendis consilium sibi ex probatis et prudentibus ecclesiasticis viris assumant, eorumque prudentia utantur.

XIV.

Episcopis iisdem insuper Beatitudo Sua munus committit in unaquaque dioecesi Seminarium, quod minus seu parvum vulgo audit, erigendi, in quo adolescentes, qui Ecclesiae servitio se mancipare volunt, excipiantur, grammaticae rudimentis atque litteris excolantur. Hi enim clerici, gymnasialibus studiis absolutis, in archidioecesis Sancti Pauli Seminarium maius, quod in provinciale erigitur, erunt recipiendi, ut ibi impensis propriae dioecesis Episcopi, philosophicis ac theologis disciplinis dent operam. Qui vero clerici maiori in Seminario archidioecesis Sancti Pauli nunc recepti sunt, hi dummodo vix ac Episcopales Sedes noviter erectae fuerint constitutae, impensis Episcopi dioecesis in qua nati sunt, alantur, dioecesi huic addicti censendi sunt, ad eamque reverti tenentur; secus Archiepiscopus Sancti Pauli in Brasilia eos uti archidioecesi adscriptos habeat. Usque dum vero Seminaria minora in unaquaque ex quinque dioecesibus erigendis constituta non sint, earum clerici ad gymnasialia studia absolvenda ad Seminarium minus archidioecesis Sancti Pauli, impensis proprii Episcopi, mitti poterunt.

XV.

Cum vero in Urbe Collegium Pium Latinum Americanum exsistat, ex quo summa cum Americae Latinae dioecesium utilitate praeclari prodierunt Evangelii praecones et animarum rectores, praecipit Sanctitas Sua, ut quemadmodum ex ceteris omnibus sive Reipublicae Brasilianae sive aliarum Rerumpublicarum Americae Latinae dioecesibus, ita ex archiepiscopali ipsa Ecclesia Sancti Pauli in Brasilia atque ex novis quinque constitutis dioecesibus, bini ad idem Collegium, secundum ea quae in Concilio plenario totius Americae Latinae, Romae anno MDCCCXCIX habito, statuta sunt, quam primum mittantur clerici, inter eos qui ingenii nobilitate ac virtute praestant seligendi, idque in posterum non intermissa vice fiat. Quin imo quo stabilius et clericorum ipsorum qui ad Urbem mittendi sunt, institutioni sit provisum, et Collegii Pii Latini Americani dotationi, vehementer exoptat eadem Sanctitas Sua, ut Archiepiscopus Sancti Pauli in Brasilia aliarumque novarum Sedium Praesules, quo citius fieri possit, tot bona, singuli pro sua dioecesi, conferant, quot necesse est, ut ex eorum redditibus duo iidem clerici, Romam a quavis dioecesi mittendi, aut saltem ex ipsis unus, sustentari possint, eosque redditus, ubi primum percipiantur, Beatitudo Sua Collegio eidem Pio Latino Americano in perpetuum attribuit et adsignat.

XVI.

Qui autem sacerdotes dioecesis Sancti Pauli in Brasilia Clero hactenus adscripti, intra finis Regionis seu Civitatis

Sancti Pauli actu commorantur et in eadem Regione seu Civitate suum habent domicilium, eos Exsecutor decreti huius, collatis cum Archiepiscopo Sancti Pauli in Brasilia aliisque novarum dioecesum Episcopis consiliis, inter novas easdem dioeceses, earum attenta amplitudine atque populi frequentia, distribuet, ut in commissis sibi paroeciis spirituali animarum saluti procurandae impigram dent operam.

XVII.

Domus quae in episcopalibus urbibus novarum quinque dioecesium pro singulorum Episcoporum habitatione constructae sunt vel hunc in finem donatae. Beatitudo Sua, singulis iisdem Episcopis in perpetuum concedit, ut in ipsis inhabitare queant, Curiamque ipsam episcopalem, si fieri possit, statuere.

XVIII.

Ne vero ex hac dioecesis Sancti Pauli dismembratione novarumque dioecesium erectione ullum fidelibus damnum obveniat, mandavit Beatitudo Sua, ut documenta omnia personas vel loca respicientia quae Episcopi Sancti Pauli iurisdictioni hucusque subiecta fuere atque Consistoriali hoc Decreto subtracta ab eo sunt, ab ipsius Cancellaria extrahantur, ac episcopalibus Cancellariis novarum Cathedralium Ecclesiarum respective tradantur, in ipsis in posterum fideliter custodienda.

XIX.

Novas quinque episcopales Sedes Sanctitas Sua in suffraganeas adsignat et attribuit noviter erectae Ecclesiae

Metropolitanae Sancti Pauli in Brasilia, eidemque, uti Archiepiscopali, Cathedralem quoque Ecclesiam Curitybensem de Paraná subiicit, quam propterea a iure Metropolitico Archiepiscopi Ecclesiae Sancti Sebastiani Fluminis Ianuarii, et a quovis iure Metropolitani huiusmet Ecclesiae Capituli subtrahit atque eximit.

XX.

Cum R. P. D. Leopoldus Duarte e Silva ad regendam Cathedralem Ecclesiam Sancti Pauli recenter fuerit deputatus, cumque ipse quam maxime adlaboraverit ut novae episcopales Sedes erigi possent, Beatitudo Sua in peculiaris Suae erga ipsum benevolentiae testimonium, eumdem in Archiepiscopum constituit eiusdem Ecclesiae Sancti Pauli, ad Metropolitanae dignitatem nunc evectae, ita ut eam eodem in posterum iure regat, ac rexit hucusque, eumque a nova instituenda, ad normam sacrorum canonum, canonica inquisitione super eius Pontificalium exercitio, et ab expediendis novis Apostolicis Litteris pro aucta dignitate, benigne dispensat atque absolvit.

XXI.

In nova ecclesiasticae Provinciae Sancti Pauli constitutione, novarumque dioecesium Taubatensis, Botucatuensis, Campinensis, de Ribeirâo Preto et Sancti Caroli de Pinhal erectione, Sanctitas Sua facultatem Sibi et Apostolicae Sedi expresse reservat, novam eiusdem ecclesiasticae provinciae, earumdemque dioecesium finium circumscriptionem libere ineundi, quandocumque id in Domino opportunum visum

fuerit, nullo hac super re aut Metropolitanae aut Cathedralium Ecclesiarum Praesulum et Capitulorum consensu requisito, nullave attributa territorii compensatione.

XXII.

Ea demum omnia quae res, loca aut personas respiciunt, quibusque praesenti Consistoriali Decreto non fuit derogatum, vult Beatitudo Sua, ut firma et rata maneant secundum canonicas leges et ecclesiasticam disciplinam. Si qua vero difficultas aut controversia circa praemissa in posterum forte oriatur, ea ad Apostolicam Sedem erit deferenda, quae, omnibus accurate perpensis, prout de iure decernet.

XXIII.

Attenta temporum conditione, Sanctitas Sua Metropolitanam Ecclesiam Sancti Pauli in florenos aureos de camera sexaginta sex cum tertia floreni parte, et Cathedrales Ecclesias Taubatensem, Botucatuensem, Campinensem, de Ribeirâo Preto et Sancti Caroli de Pinhal in florenos aureos de Camera triginta tres cum tertia floreni parte respective taxari iussit, hasque taxas in libris Camerae Apostolicae de more describi.

XXIV.

Ad praemissa demum exsequenda Beatitudo Sua R. P. D. Alexandrum Bavona, Archiepiscopum tit. Pharsalen. et in Brasiliana Republica Nuntium Apostolicum, deputari mandavit, cum facultatibus necessariis et opportunis, etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quamcumque aliam

personam in ecclesiastica dignitate constitutam, itemque definitive pronunciandi super qualibet oppositione in exsecutionis actu quovis modo oritura, iniuncta eidem obligatione, authenticum exemplar peractae exsecutionis intra annum ad Sacram hanc Consistorialem Congregationem transmittendi.

XXV.

Praesens demum Sanctitas Sua super praemissis fieri mandavit Consistoriale Decretum, perinde valiturum ac si Apostolicae Litterae sub Plumbo vel sub annulo Piscatoris super iisdem expeditae fuissent, et Decretum ipsum inter acta Sacrae huius Congregationis Consistorialis referri mandavit.

Datum Romae hac die VII Iunii, anno Domini MCMVIII.

Pro R. P. D. SECRETARIO
IVLIVS GRAZIOLI
S. C. Consistorialis et Secretariae S. Collegii
Substitutus.

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
IACOBO S. R. E. PRESB. CARD. GIBBONS
ARCHIEPISCOPO BALTIMORENSI
BALTIMORAM

—

PIVS PP. X

DILECTE FILI NOSTER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quam tuo nomine et Venerabilium Fratrum ex ista Republica dederas ad Nos proxime epistolam, singulari Nos quidem cum voluptate legimus: quippe amantissime piissimeque perscriptam. Sane eximia Episcoporum e Foederatis Americae Civitatibus cum in omni genere officii diligentia et alacritas, tum erga Petri successorem observantia et pietas ita comperta Nobis iam erat, ut exploratior fieri non posset. Sed tamen per haec solemnia sacerdotii Nostri, quum divina benignitate Nobis contingit, ut pulcherrimis orbis catholici significationibus fruamur, ipsi recte existimastis et Americanam Ecclesiam, nobilem istam Ecclesiae Catholicae partem, huic quasi concentui bonorum omnium deesse non debere, et commune testimonium studii vestri Nobis fore pergratum. In quo valde libenter perspicimus sic vos erga personam humilitatis Nostrae affectos esse, quemad-

modum universos cupimus et optamus. Placet nempe reverentia, qua Vicarium Iesu Christi colitis; placet obsequium, quod fidei disciplinaeque christianae Magistro profitemini: sed perplacet is amor, quo communem catholicorum praesertim diligitis Patrem. Quando igitur tam deditos vos Nobis praestatis filios, facile intelligitis, Nostra vicissim in vos paterna caritas quanta sit. Qua Nos caritate, uti par est, Clerum ceterumque gregem vestrum una complectimur: scimus enim, quotquot curae vestrae creditos habetis, in primis esse studiosos Nostri et Apostolicae huic Sedi coniunctos. Quod autem scribitis videri vobis auspicato accidere, ut, quum eo tempore sacerdotium iniverimus quo Maria Immaculata, ad oppidum Lourdes apparens, ibi mirificae beneficentiae suae tamquam fontem aperuit, huius facti recordatio cum sacerdotali Nostra celebritate concurrat, rem vos attingitis, vehementer Nobis cogitatu iucundam. Scilicet divinae Matris apud Christum patrocinio unice confisi semper sumus: atque sicut Illa, quod minime dubitamus, cursum sacerdotalis Nostri muneris praesens usque adhuc adiuvit, ita sperare libet, velle Ipsam Nobis, iam ad hoc dignitatis fastigium investigabili Dei voluntate provectis, sollicitudinum, quibus angi Nos videt, solatium afferre. Ac in tanta mole molestiarum non ignoratis quae Nos premant maxime. Quare pergite, ut facitis, Nobiscum implorare Virginem, praesertim ut, quae sibi admodum esse curae Ecclesiam Gallicam ostenderit, tam misere hodie afflictam, mature in statum tranquillae libertatis restituat, eademque, Interemptrix haeresum, de finibus christiani populi pestiferos errores exterminet, quos damnando denuntiavimus. Quod reliquum est, merito vestro

magnas vobis agimus et habemus gratias; atque auspicem divinorum, quae precamur munerum, simulque testem praecipuae Nostrae benevolentiae, tibi, dilecte Fili Noster, tuis istis in Episcopatu collegis, universoque Clero et populo vestro Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XVII Iunii MCMVIII, Pontificatus Nostri anno quinto.

PIVS PP. X

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
ANDREAE S. R. E. PRESB. CARD. FERRARI
ARCHIEPISCOPO MEDIOLANENSI
ET VENERABILIBVS FRATRIBVS CETERIS EPISCOPIS
EIVSDEM PROVINCIAE

—

PIVS PP. X

DILECTE FILI NOSTER ET VENERABILES FRATRES
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Ex communibus litteris, quas annuo peracto coetu misistis nuper ut de rebus inter vos consultis faceretis Nos certiores simulque Nobis hac celebritate sacerdotii Nostri gratularemini, ea cognovimus, quae numquam Nobis dubia fuerunt, vos et pastoralis officii diligentissimos esse, et successoris beati Petri in primis deditos. Sed tamen intelligitis, ex eis Nos litteris non mediocrem cepisse fructum gaudii; quum praesertim legeremus, quod ad rite ordinandam sacrae iuventutis disciplinam attinet, egregium virum, quem super hoc negotio ad vos legavimus, admodum se vobis probasse, et quae attulit praescripta Nostra, studiose iis vos obtemperasse; quod autem ad integram conservandam Fidem populi, vigilanter vos erroribus novis itinera intercipere. Nostis enim de hac utraque causa quantum laboremus. Ceterum,

studii atque operae quam vos in illud propositum sanctae rerum omnium instaurationis navatis Nobis, vel volumen est documento, a vobis proxime oblatum, quo Concilii vestri Provincialis acta continentur. Quare pergite ut instituistis, nihil dubitantes de singulari in vos caritate benevolentiaque Nostra, confisi autem auxilio divinae gratiae, quam vobis uberrimam precamur; et cuius auspicem, vobis, dilecte Fili Noster et Venerabiles Fratres, et Clero populoque vestro Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XX Iunii MCMVIII, Pontificatus Nostri anno quinto.

PIVS PP. X

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS

PAROECIA RVTHENI RITVS « NAGY-KAROLY » APPELLATA

E DIOECESI MAGNO-VARADINENSI SEIVNGITVR

ET DIOECESI MVNCHACSIENSI RVTHENORVM ADIVNGITVR

—

PIVS PP. X

AD FVTVRAM REI MEMORIAM

Quae catholico nomini aeternaeque fidelium saluti bene, prospere ac feliciter eveniant, et quae sacrae rei procurationi melius gerendae facere possunt, ea ut sollicito studio praestemus, Nos admonet supremi Apostolatus munus, quo in terris, licet immeriti, fungimur. Iamvero vi Constitutionis Apostolicae cuius initium: *Imposita humilitati Nostrae* a rec. mem. Pio PP. VII Praedecessore Nostro quinto nonas Iulias anno MDCCCXXIII editae, paroeciae non paucae Rutheni ritus, intra fines sitae Munchacsiensis dioecesis, quas inter certa quaedam paroecia cui vulgo nomen *Nagy-Karoly* ab hac dioecesi Apostolica Auctoritate seiunctae fuere atque territorio adiunctae dioeceseos Magno-Varadinensis Rumenorum. Ea tamen haud multo post exinde ob ritus et linguae praesertim liturgicae diversitatem enata sunt incommoda, ut anno MDCCCXXVII novem ex iisdem Paroeciis, Munchacsiensi dioecesi aggregari iterum debuerint. Nuper vero accidit, ut

ab incolis memoratae paroeciae *Nagy-Karoly,* Magno-Varadinensi Rumenorum episcopali Ecclesiae hactenus subiectae, unanimi fere consensu preces ad Sanctam hanc Apostolicam Sedem admotae fuerint, quas ipse detulit perillustris vir Nicolaus Szécsen, e dynastis de Temerin, Imperii Austro-Hungarici penes Nos et Sanctam Sedem Legatus, ut paroecia eadem iisdem de causis dioeceseos Munchacsiensis Ruthenorum territorio restitueretur; cumque hisce fidelium votis tum dilectus Filius Noster Claudius titulo a SS. Silvestro et Martino in Montibus S. R. E. Presbyter Cardinalis Vaszáry, ex dispensatione Apostolica Archiepiscopus Strigoniensis atque totius Hungarici Regni Primas, tum Venerabiles Fratres Demetrius Radu et Iulius Tisczak, alter Magno-Varadinensis Rumenorum Episcopus, Episcopus alter Munchacsiensis Ruthenorum annuerint: Nos de omnibus certiores facti, exquisita antea sententia Sacri Consilii VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium qui Christiano Nomini Propagando praepositi sunt, attentis expositis, cuncta quae spirituali fidelium saluti procurandae profutura intelliguntur decernere cupientes, oblatas preces benigne excipiendas censuimus. Quae cum ita sint, omnes et singulos quibus Nostrae hae Litterae favent a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, seu poenis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, Motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris deque Apostolicae potestatis plenitudine, praesentium vi, suppleto, quatenus opus sit, quorumcumque in hac re rationem habentium vel habere praesumentium consensu, paroeciam vulgo *Nagy-Karoly* nuncupatam, Rutheni ritus,

cum omnibus et singulis in ea exsistentibus et commorantibus, e territorio dioecesis Magno-Varadinensis Rumenorum separamus, dividimus, avellimus; eamque pariter, uti supra, cum omnibus et singulis in ea exsistentibus et commorantibus, territorio cathedralis Ecclesiae Munchacsiensis Ruthenorum adiungimus et unimus, ita ut in posterum Munchacsiensis Ruthenorum ipsius Episcopi iurisdictioni sit ipsa subiecta, sicut hactenus Antistiti Magno-Varadinensi Rumenorum obnoxia fuit. Ne vero ex huiusmodi dismembratione ullum cuique damnum forte obveniat, Auctoritate similiter Nostra praecipimus, ut documenta omnia vel incolas Paroeciae *Nagy-Karoly* respicientia, vel Paroeciam eandem, e Cancellaria Episcopali Magno-Varadinensi Rumenorum extrahantur, ac debita forma Munchacsiensi Ruthenorum pariter Cancellariae tradantur, in ea in posterum fideliter custodienda. Huiusmodi vero dismembrationis et unionis exsecutionem Venerabili Fratri Ianuario Granito de Belmonte, Archiepiscopo titulari Edesseno et Apostolico Vindobonae Nuncio, praesentium tenore committimus, cum facultatibus necessariis atque opportunis, etiam subdelegandi in eundem finem quamcumque aliam personam in ecclesiastica dignitate constitutam, nec non definitive pronunciandi super quacumque oppositione in exsecutionis actu quomodolibet forte oritura, et cum mandato peractae exsecutionis acta, authentica forma exarata, intra mensem, ad Consistorialem Congregationem transmittendi: cuius in tabulario omnia ipsius separationis et unionis acta iussimus asservari. Haec decernimus, mandamus, edicimus, non obstantibus Nostra et Cancellariae

Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque Constitutionibus et Sanctionibus Apostolicis, ceterisque omnibus speciali licet atque individua mentione ac derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXII Iunii MCMVIII, Pontificatus Nostri anno quinto.

L. ✠ S.

R. CARD. MERRY DEL VAL,
a Secretis Status.

EPISTOLA

DILECTO FILIO
MICHAËLI DE MARIA E SOCIETATE IESV
PRAEFECTO STVDIORVM
IN ATHENAEO GREGORIANO

—

PIVS PP. X

DILECTE FILI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Exeunte mox, ut accepimus, anno quinquagesimo postquam te ad institutionem contulisti sacrae iuventutis, est sane quod tibi et ipse gaudeas, et boni, quorum complurium opinione flores, gratulentur. In respiciendo enim hoc spatio aetatis tuae, te certe delectare muneris sancte administrati conscientia debet, eis autem iucunda accidere tuorum recordatio meritorum. Quae quidem merita non vulgaria fuisse usque adhuc, novimus: nec quisquam ignorat, Decessori Nostro, quum scholas catholicas ad instituta Doctoris Angelici revocaret, quantum, vel scriptis opportune libris, vel magisterio doctrinae, operam sollertiamque tuam probaveris. A Nobis autem te scias non minoris fieri; pariterque Nos confidere, quod ad disciplinam Aquinatis attinet, maxime tibi semper curae futurum, ut in Athenaeo Gregoriano qui philosophiam qui theologiam tradunt, ii religioni habeant,

quemadmodum habuerunt ad hoc tempus, a principiis tanti Doctoris vel minimum discedere. Itaque paternam tibi benevolentiam ex animo profitemur; atque ut in annos multos pergas, ut facis, elaborare pro Ecclesia, valde cupimus. Auspicem interea divinorum munerum, tibi, dilecte Fili, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXIII Iunii MCMVIII, Pontificatus Nostri anno quinto.

PIVS PP. X

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
FELICI EPISCOPO TREVIRENSI
AVGVSTAM TREVIRORVM

—

PIVS PP. X

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quod in Ecclesiae primordiis usuvenit, ut Christo Domino et Apostolis, ministerio verbi distentis, castissimae foeminae officiis opibusque suis praesto essent, idem actuosae pietatis exemplum instaurari his maxime temporibus gaudemus, quum virorum apostolicorum labores tam multis tamque opportunis subsidiis muliebre sexus adiuvat. In hoc genere vehementer Nobis probari scias istam quae in urbe Coblenz sedem habet pia matronarum et virginum Consociatio sacris adiutandis expeditionibus ad exteros: eamque probari non solum pro eo quod, urgente animarum caritate, studet liberare servitute mulieres, easdem per multiplicem beneficientiam ad Fidem allicere, praeconibus Evangelii auxilia omnia praebere ad salutem ethnicorum; sed etiam pro singulari studio quo ad divinum cultum necessaria curat. Vidimus haud ita pridem in aedibus Vaticanis eam, quam consociatae disposuerunt ad spectandum, vasorum vestiumque

sacrarum copiam, ipsarum partim elaboratam industria, partim aere comparatam: ac palam egregias foeminas pro merito dilaudavimus, quarum pietatis atque diligentiae tam praeclara pignora intueremur. Nunc autem, quoniam novimus Consociationem huiusmodi magno usui usquequaque fuisse et esse apostolicis viris, maiori futuram si plus ad opitulandum haberet facultatis, dandam operam arbitramur, ut laetissima, quantum in Nobis est, capiat incrementa. Itaque facimus te certiorem, quod ipse tuis istis in Episcopatu collegis significes velimus, hoc Nos libenter concedere Consociationi quam laudavimus, ut in omni Germania, finitimisque regionibus, si quidem locorum Ordinarii siverint, propagari possit, cum omnibus privilegiis et pontificalis indulgentiae muneribus, quae Decessor Noster fel. rec. Leo XIII et Nosmetipsi eidem tribuimus. Tu quin tam salutari instituto faveas adiutorque sis, non dubitamus; Venerabiles autem Fratres intelligant nihil gratius Nobis se facturos, quam si et ipsi fauturi sint. Auspicem caelestium bonorum, ac testem peculiaris benevolentiae Nostrae, tibi, Venerabilis Frater, et omnibus quae dederunt aut dabunt ei Societati nomen, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXV Iunii MCMVIII, Pontificatus nostri anno quinto.

PIVS PP. X

EPISTOLA

DILECTO FILIO
IGNATIO BODY SACERDOTI DOMINICANO

—

PIVS PP. X

DILECTE FILI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Novimus, exiturum mox annum quinquagesimum ex quo ista, cui praees, pia Consociatio a *Rosario Perpetuo* optimis est auspiciis restituta. Quanti sit apud Nos institutum huiusmodi, et quam libentibus Nobis latissime, ut accepimus, bonorum studiis vigeat, nemini obscurum est. Nec vero Nobis quidquam praestabilius videtur, quam, sine ulla intermissione, simul e multis terrarum partibus, voces supplices plurimorum, christiana mysteria meditantium, sublime ferri ad Virginem Beatissimam, ut perpetuo maternae bonitatis eius munera in Ecclesiam defluant. Quare occasionem Nobis dari gaudemus ad gratiam caritatemque Nostram profitendam sodalibus tuis omnibus, maximeque tibi, uti par est, quem scimus in moderando etiam commentario menstruo « *Couronne de Marie* » non parum studii atque operae impendere. Quod cum facimus, bona coeptis vestris incrementa precamur ex animo: atque auspicem divini auxilii ac testem benevolentiae

Nostrae, tibi, dilecte Fili, universaeque Consociationi, itemque lectoribus eius commentarii et fautoribus utriusque operis, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXVII Iunii MCMVIII, Pontificatus Nostri anno quinto.

PIVS PP. X

DECRETVM

SACRAE CONGREGATIONIS CONSISTORIALIS

QVO AVXITANAE DIOECESI

LECTORIENSIS, CONDOMIENSIS ET LOMBESIENSIS

TITVLI ADIVNGVNTVR

—

Romanos Pontifices quovis tempore Apostolicas curas in id intendisse, ut secundum fidelium necessitates novae excitarentur episcopales Sedes, ecclesiastica demonstrant documenta. Quod si quandoque accidit ut dioeceses supprimere ac delere debuerint, id nonnisi aegre ad maiora vitanda mala, atque publicis adacti calamitatibus, fecerunt. Quemadmodum sub initio saeculi elapsi evenisse in Gallia constat, ubi, post ea quae anno MDCCLXXXIX patrata erant quaeque divina humanaque omnia subverterant, Pius PP. VII, ne Religio penitus collaberetur, conventione inita cum Napoleone, qui tunc temporis primus erat Reipublicae Consul, inter alia, dioecesium quoque numerum imminuere coactus est. Verum ne dioeceses quae deletae fuerunt, hominum memoria penitus exciderent, curavit Pontifex ut titulus saltem earum quae praestantiores erant, servaretur, atque denominationi adiiceretur dioecesium quibus adnexae fuerant.

Haec rememoratus R. P. D. Ernestus Ricard, Auxitanae Ecclesiae Metropolitanae Archiepiscopus, litteris ad Apostolicam Sedem nuper datis, retulit intra suae Archidioecesis

fines tres exsistere civitates, quibus vulgo nomen *Lectoure, Condom, Lomby,* quae, episcopali Sede in finem usque saeculi decimioctavi insignitae, in conventione anno MDCCCI Apostolicam Sedem inter atque Napoleonem inita suppressae fuere, easque tum ob viros illustres qui ipsas et doctrina et rebus praeclare gestis nobilitarunt, tum ob cathedralium Ecclesiarum quae adhuc exstant magnificentiam, dignas edixit quae ex eorum saltem denominatione recolerentur, ideoque SSmum D. N. Pium PP. X supplicavit, ut Auxitana Ecclesia in posterum titulis quoque trium earumdem episcopalium Sedium denominari posset.

Sanctitas Sua, me referente infrascripto Sacrae Congregationis consistorialibus rebus expediendis praepositae Substituto, omnibus mature perpensis, attentis expositis, calamitatibus quoque attentis quibus in praesens Galliarum Ecclesia affligitur, ut paternae Suae benevolentiae pignus tum Auxitano Archiepiscopo praeberet, tum fidelibus Auxitanae eiusdem Archidioecesis, iis praesertim qui in civitatibus Lectoriensi, Condomiensi ac Lombesiensi commorantur, oblatas preces benigne excipiens, de Apostolicae potestatis plenitudine decrevit, ut in posterum Auxitana Ecclesia Metropolitana titulis quoque designetur trium earumdem episcopalium Sedium atque Auxitana, Lectoriensis, Condomiensis et Lombesiensis nuncupetur, itemque eius Archiepiscopus Auxitanus, Lectoriensis, Condomiensis et Lombesiensis audiat' cum clausulis necessariis et opportunis in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Praesens autem super praemissis Beatitudo Sua fieri mandavit Consistoriale Decretum, perinde valiturum ac si

super iisdem Litterae Apostolicae sub Plumbo vel sub annulo Piscatoris expeditae fuissent, et inter acta referri Sacrae huius Congregationis Consistorialis.

Datum Romae hac die XXIX Iunii, anno Domini MCMVIII.

Pro R. P. D. SECRETARIO
IVLIVS GRAZIOLI
S. C. Consistorialis et Secretariae S. Collegii
Substitutus.

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS
ECCLESIA ARCHIPRESBYTERALIS CASTRIFRANCI
IN DIOECESI TARVISINA
FIT ARCHIPRESBYTERALIS ABBATIALIS
ILLIVSQVE PRO TEMPORE ARCHIPRESBYTERI
RENVNTIANTVR ABBATES

—

PIVS PP. X

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

In hac sublimi Principis Apostolorum Cathedra, nullis quidem meritis Nostris, divinitus collocati, suavi lactitia perfundimur, quum in memoriam revocamus Ecclesiam Archipresbyteralem Castrifranci in dioecesi Tarvisina, in qua quinquaginta abhinc annis die XVIII Septembris mensis anno rep. sal. MDCCCLVIII, Sacerdotium inivimus et salutarem Deo Hostiam primum litavimus. Itaque ad perennandam sacerdotalis huius Nostri Iubilaei memoriam, placet Nobis singulari idem templum propensae voluntatis significatione cohonestare. Quae cum ita sint, omnes et singulos quibus hae Nostrae Litterae favent, a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, Motu proprio atque

ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium, Archipresbyteralem Ecclesiam Castrifranci in dioecesi Tarvisina Abbatiali titulo augemus, ita ut in posterum perpetuo appelletur Ecclesia Archipresbyteralis Abbatialis Sanctae Mariae et Sancti Liberalis de Castrofranco, et illius pro tempore Archipresbyter perpetuum similiter in modum Archipresbyteri Abbatis titulo potiatur, et sequentibus privilegiis polleat. Nimirum: I. Abbas pro tempore Castrifranci subiectus erit Ordinario loci ad formam Concilii Tridentini (Sess. XXIV, cap. 19): eius tamen beneficium nunquam poterit nisi ab hac Sancta Apostolica Sede conferri. Abbas proinde et Ecclesia S. Mariae et S. Liberalis sint omnino liberi a quacumque dependentia qua hucusque erga Parochum et Ecclesiam S. Mariae de Plebe Nova in eodem territorio Castrifranci obnoxii erant. – II. Habitum praelatitium et pianum, ut dicitur, gestare poterit idem Abbas, prouti describitur in Constitutione a Nobis edita die XXI Februarii mensis anno MDCCCCV de Conlegio Protonotariorum, sub numeris 16 et 17. Sed flocculus nigri birreti et vitta serica pilei nigri, sint viridis coloris, nullo tamen filo aureo inter texto. Insuper usum cappae laneae illi concedimus violacei coloris in sua tantum Ecclesia, pellibus mustelae albae hiberno tempore, aestivo autem rubini coloris serico ornatae, et usum annuli cum unica gemma, quem semper gestare poterit. – III. Sicuti ceteri Abbates praecedentiam habebit super omnes clericos et canonicos etiam Cathedralis, non tamen quando isti capitulariter conveniant. – IV. Gaudebit indulto Oratorii privati domi rurique, cum clausulis et exceptionibus in eadem Con-

stitutione sub numero 22 contentis. – V. In celebrandis sive Missis, sive Vesperis, sive aliis functionibus Pontificalibus illi concedimus: 1° Usum subsellii in parte Evangelii cum fulcro humerali, aut « dorsello » uti dicunt, coloris officio convenientis, et duobus gradibus, non tamen cum peristomate, sive « baldacchino », peracta festivitate amovendi: – 2° Mitram aureo phrygio opere depictam, quae cum alba damascena alternari poterit, iuxta praescriptum Caeremoniale Episcoporum (1, 17, 2 et 3): – 3° Baculum alba vitta serica in summitate ornatum: – 4° Duos diaconos adsistentes et trinam benedictionem; quibus omnibus abstinebit, si praesens sit Episcopus loci, vel Metropolitanus, vel aliquis S. R. E. Cardinalis. De coetero in functionibus Pontificali ritu celebrandis omnia servabit, quae in recensita Constitutione dicuntur sub numeris 26, 27, 28 et 29. Crux vero pectoralis pendeat e chordula serica viridis ex integro coloris, ut supra num. II. – VI. Dies autem quibus Pontificalia celebrare poterit Abbas, per annum septem erunt tantum: nempe festis Natalis D. N. Iesu Christi, Paschatis Resurrectionis, SSmi Corporis Christi Domini, Assumptionis B. Mariae Virginis, et S. Liberalis confessoris, nec non aliis duobus festis ad eiusdem beneplacitum. – VII. In processionibus, nec non in benedictionibus cum SSmo Sacramento, quae in ecclesiis suae paroeciae cum aliqua solemnitate celebrabuntur, semper mitra, baculo et cruce uti poterit. – VIII. Ubicumque invitatus fuerit, poterit mitra simplici uti in una ex quinque absolutionibus ad tumulum in sollemnioribus exsequiis. – IX. Bona cum venia Ordinarii extra propriam paroeciam et dioecesim, Pontificalia agere poterit,

modo et forma et insignibus, prouti concessum est Protonotariis ad instar Participantium in dicta Constitutione sub numeris 47 et 48. – X. In synodalibus processionibus et sessionibus, pluviali indutus, mitram quoque simplicem gestare poterit. Item in functionibus sollemnioribus quandocumque et quocumque (non tamen in Urbe) ab Ordinariis locorum fuerit invitatus. – XI. Concedimus insuper, ut benedicere possit sacra indumenta ac linteamina et corporalia, nec non vasa sacra, pro quibus unctio Chrismatis non sit adhibenda, pro omnibus ecclesiis quomodocumque subiectis. – XII. Tandem illi fas erit Missam lectam cum aliqua solemnitate celebrare in paroecia sua quando voluerit, extra autem de commissione Ordinarii, prouti statutum est memorata in Constitutione, numeris 31 et 49. – Porro haec concedimus, decernentes has Litteras firmas, validas et efficaces semper exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat vel spectare poterit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, irritumque esse et inane si secus super his, a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die III Iulii MCMVIII, Pontificatus Nostri anno quinto.

L. ✠ S.

R. CARD. MERRY DEL VAL,
a Secretis Status.

EPISTOLA

DILECTIS FILIIS
MODERATORI COLLEGII OENIPONTANI
CETERISQVE SACERDOTIBVS E SOCIETATE IESV
EIDEM COLLEGIO ADDICTIS

—

PIVS PP. X

DILECTI FILII
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Certiores facti sumus, proximis his diebus duplicis rei memoriam apud vos celebratum iri, quod abhinc annis quinquaginta et in Athenaeo Oenipontano sacrae theologiae magisteria sunt constituta, quae quidem a multis vestrum rite et cum laude obtineri scimus, et Seminarium sive *Convictus* theologorum, quem ipsum e vestro Collegio pendere omnem novimus, initium cepit. Recte vos, dilecti Filii, id respicientes intervallum, immortales acturi estis Deo benigno gratias, qui vobis et antecessoribus vestris exitus tam prosperos laborum dedit. Nobis autem divinam in vos benignitatem agnoscere libet, vel ex amplitudine nominis qua utrumque institutum vestrum floret in orbe catholico, vel ex ea sacerdotum, sacrorum antistitum, ipsorumque Cardinalium copia qui, a vestra disciplina profecti, Ecclesiae ubique gentium praeclaro sunt fuerunt ornamento atque usui. Nec minus benigne egisse

vobiscum Deus videtur, quod, secundum vota Ignatii, Patris Legiferi, vos, divinae gloriae dantes operam, variis rerum acerbitatibus exercuit. Itaque Ipsius ope confisi, quam nunquam ad hunc diem vobis defuisse videtis, pergite, ut instituistis, optime de sacra iuventute mereri. Nos vero, auspicem caelestium munerum, ac testem peculiaris benevolentiae Nostrae, vobis, dilecti Filii, atque iis omnibus qui vobiscum haec celebrabunt solemnia, Apostolicam Benedictionem amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die IV Iulii MCMVIII, Pontificatus Nostri anno quinto.

PIVS PP. X

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
ANDREAE ARCHIEPISCOPO LEOPOLIENSI
LEOPOLIM

—

PIVS PP. X

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quidquid consilii, operae, studii a bonis conferatur ad reconciliandam dissidentium cum Apostolica Sede concordiam, id omne in eam causam conferri scias, quae curae Nobis non minus sit quam cuiquam Decessorum Nostrorum fuerit. Hoc enim maxime in votis est amantissimi Redemptoris, cuius Nos, nullo Nostro merito, personam gerimus, ut quotquot Ipsum colunt, omnes unum sint. Itaque intelligis, quam velimus, nostros inter et Orientales qui a Cathedra Beati Petri, id est a centro catholicae unitatis, nimium diu seiuncti sunt, fraternam quamdam institui studiorum officiorumque vicissitudinem, quae praeiudicatas opiniones sensim dissipet Ecclesiamque orientalem aliquando suadeat, nulla cum iactura imo cum emolumento dignitatis suae, salutarem Nobiscum redintegrare coniunctionem. Id quod gaudemus consultum deliberatumque esse in eo theologorum conventu, qui anno superiore Velehradii, te praeside, est habitus. Nos

quidem dilectos filios, qui eiusmodi consilium iniverunt, pro merito laudamus; sed tamen non ab re fuerit hortari, quod facimus, ut pari diligentia cum caritati fraternae tum veritati serviant: idque dicimus, ne forte quis in proponenda doctrina catholica sibi licere putet quidpiam minus sanae opinionum novitati concedere, eo nempe consilio, ut abalienatis fratribus commodior ad Ecclesiam matrem reditus pateat. Ceterum, quum in hac praesertim causa nihil hominum conata possint, nisi misericors Deus adsit, auspicem divinorum munerum, eamdemque testem benevolentiae Nostrae, tibi, Venerabilis Frater, iisque omnibus qui rite in sanctissimo opere tecum elaborant, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die VIII Iulii MCMVIII, Pontificatus Nostri anno quinto.

PIVS PP. X

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS
ECCLESIA A S. CLEMENTE SERVORVM
IMMACVLATAE CONCEPTIONI SENIS DICATA
TITVLO BASILICAE MINORIS
AVGETVR

—

PIVS PP. X

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Romanorum Pontificum Decessorum Nostrorum vestigiis insistentes, spectatas antiqua christiani populi religione ecclesias singularibus perhonorificis titulis decorare pro re ac tempore satagimus. Iamvero minime Nos latet sanctiores inter Italiae ecclesias iure et merito esse accensendam quae Senis a S. Clemente Servorum vulgo appellata, pluribus abhinc saeculis ad inclytum Servorum Virginis Mariae Ordinem pertinet. Et sane nobilibus cultus et sanctimoniae traditionibus vetustissimum hoc templum floret. Etenim pro salute, honore atque bono devotae Reipublicae Senensis, die XVIII Maii mensis anno MDLIII, primum in universo catholico terrarum orbe, Immaculatae Conceptioni B. Mariae Virginis dicatum, perenne civitatis totius erga Virginem Imma-

culatam amoris observantiaeque documentum exstitit atque testimonium. Structurae atque artis mirandis operibus, non minus quam gloriosis Sanctorum Patrum Servitarum factis insigne, ipsum templum, cura potissimum dilecti filii Sosthenei Biagiotti, hodierni Prioris, ad pristinam formam et decus restitutum, quasi novo in praesens splendore renidet. Haec animo repetentibus, cum propediem ipse optime meritus Prior quinquagesimum ab inito sacerdotio annum feliciter impleat, placet Nobis, auspicatissima occasione, amplissimis etiam Senensis Antistitis suffragiis annuere, ac peculiari illud templum Pontificiae voluntatis significatione cohonestare. Quare omnes et singulos quibus Nostrae hae Litterae favent, a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, hisce Litteris, Apostolica Nostra auctoritate, Ecclesiam nuncupatam a S. Clemente Servorum, Immaculatae Conceptioni dicatam, Senis exsistentem, ad Basilicae Minoris gradum et dignitatem evehimus, cum omnibus et singulis honoribus atque privilegiis quae Minoribus almae huius Urbis Nostrae Basilicis de iure competunt. Decernentes praesenses Litteras firmas, validas et efficaces semper exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat, vel spectare poterit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, irritumque esse et inane si secus super his, a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel igno-

ranter contigerit attentari. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die VIII Augusti MCMVIII, Pontificatus Nostri anno quinto.

L. ✠ S.

R. CARD. MERRY DEL VAL,
a Secretis Status.

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI NOSTRO
VINCENTIO S. R. E. CARD. VANNVTELLI
EPISCOPO PRAENESTINO

—

PIVS PP. X

VENERABILIS FRATER NOSTER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

E solemnibus Catholicorum conventibus, qui quotannis in honorem Sanctissimae Eucharistiae haberi solent, insignis admodum is fore videtur, quem nosti indictum esse Londinium in Septembrem proximum; idque tum frequentia et dignitate coëuntium, tum caeremoniarum splendore ac celebritate. Nam, curantibus praesertim Venerabilibus Fratribus Francisco Archiepiscopo Westmonasteriensi, qui rei apparandae summa cum diligentia praeest, ac Thoma, Episcopo Namurcensi, praefecto generalis Consilii coetibus Eucharisticis agendis, audimus in eum conventum mirifice commota esse studia piorum: conventuros undique lectissimos cuiusvis ordinis viros; in ipsa autem luce amplissimae florentissimaeque urbis magnas factum iri significationes pietatis publicae. — Quam iucunda Nobis haec accidant, facile existimabit quisquis permagni referre intelligit, ut vigeat in populo christiano quotidieque crescat amor, cultus atque

usus divinae Eucharistiae. Hic adeo fons est, unde per totum Ecclesiae corpus supernaturalis vitae spiritus diffunditur: hoc vinculum, quo eiusdem membra corporis arctissime coalescunt. Etenim, quum in augusto Sacramento, licet mystice latens, vere tamen praesens et vivus adsit inter nos usque in finem saeculorum dulcis Redemptor noster, inde potissimum divinae caritatis flammam concipimus; in ipso spes omnes nituntur nostrae; ipsum nobis omnibus unum idemque est quasi centrum Fidei: quemadmodum ratio huius Sacramenti conficiendi, quae sacerdotibus omnibus catholicis in magna rituum varietate communis est, regiminis disciplinaeque nostrae aperte indicat unitatem. Porro Eucharistiam veneramur non solum ut Sacramentorum maximum, sed etiam, ut quod religioni necessario inhaeret atque adeo divini cultus caput est, ut Sacrificium scilicet. Est enim ipsa sacrificium Novi Testamenti, Ecclesiaeque Christi proprium, variis iam antiquorum patrum hostiis, praecipue sacerdotis summi Melchisedech, adumbratum, oraculo autem Malachiae non dubie promissum. Quo quidem Sacrificium, quod semel in ara Crucis oblatum est, illud ipsum incruente sine ulla intermissione instauratur per omnem orbem terrarum, ubicumque ad altare congregantur oves Christi, ut, quod maiores et in veteri Lege et in nova perpetuo consueverunt, rite omnipotenti Deo debitam gratiam laudemque persolvant, eumque placatum sibi reddant et propitium. Non igitur inveniri potest res ulla dignior, quae animos hominum religiosissimorum studio inflammet, ut apud christianos magis ac magis in honore sit. Recte autem placuit, ut conventus iste in urbe principe celebretur eius Imperii, cuius

non ultima laus est aequam omnibus civibus ministrare libertatem, et cuius auctoritati ac legibus tam multa Catholicorum centena millia fideliter ex officii conscientia parent. — Iam vero Nos, quod alias in simili causa fecimus, non modo id consilii vehementer probamus, verum etiam in partem rei perlibenter venimus: quare, ut personam Nostram in conventu Eucharistico Westmonasteriensi ipse geras, Legatum Nostrum his te litteris renunciamus. Aderit ubertate gratiae suae consiliantibus divinus Ecclesiae Auctor, cuius unice agitur gloria: interim Nos auspicem Eius munerum, eamdemque benevolentiae Nostrae peculiaris testem, tibi, Venerabilis Frater Noster, universisque et singulis qui conventuri sunt, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXVIII Augusti, in festo Sancti Augustini Ecclesiae doctoris, anno MDCCCCVIII, Pontificatus Nostri sexto.

PIVS PP. X

EPISTOLA

DILECTIS FILIIS
LVDOVICO MARIAE DE SILVA-RAMOS DECANO
CETERISQVE DOCTORIBVS DECVRIALIBVS S. THEOLOGIAE TRADENDAE
IN VNIVERSITATE STVDIORVM CONIMBRICENSI
CONIMBRICAM

—

PIVS PP. X

DILECTI FILII
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Iucundum Nobis officium fuit litterarum, quas per solemnia sacerdotii Nostri communiter ad Nos haud ita pridem misistis, gratulandi causa. Scilicet pietatis observantiaeque in Nos vestrae valde Nos significatio delectavit; eo magis quod iis verbis facta erat ut facile intelligeremus, vos in tenuitate personae Nostrae non modo excellentiam potestatis apostolicae, sed summam etiam magisterii ecclesiastici auctoritatem revereri et colere. Ceterum studiose obsequi documentis huius Apostolicae Sedis, tuerique integritatem doctrinae catholicae. vetus est nobilisque laus Athenaei Conimbricensis: quam vos laudem a maioribus traditam, quin custodire integram religiose velitis, non est dubitandum. Quibus autem Nos faustis omnibus prosequimini. de his agimus gratias

vobisque vicissim a Deo cupimus omnia, et caelestis auspicem munerum, eamdemque praecipuae benevolentiae Nostrae testem, vobis, universis et singulis, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xv Septembris MCMVIII, Pontificatus Nostri anno sexto.

PIVS PP. X

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS

CORPVS SANCTI PAVLINI EPISCOPI NOLAM TRANSFERENDI

NOLANO EPISCOPO FIT FACVLTAS

—

PIVS PP. X

VENERABILIS FRATER

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Sanctos inter Antistites et Confessores quorum gloriosis fastis Nolana dioecesis et felix Campania nobilitatur, conspicuum procul dubio locum obtinet Sanctus Paulinus Episcopus, cuius laus est in universa Ecclesia. Quis enim ignorat acta sanctissimi viri, cuius labia custodiebant scientiam, et sapientiam laudabant gentes; quique, ut Sanctus Augustinus ait, ex opulentissimo divite, voluntate pauperrimus factus, sed copiosissime sanctus Christiano populo apparuit? De eius vita iuvat summatim attingere. Pontius Meropius Anicius Paulinus anno reparatae salutis trecentesimo quinquagesimo tertio, a clarissima civium Romanorum familia, Burdigalae in Aquitania natus, acri fuit ingenio et moribus suavibus. Ausonio magistro, eloquentiae ac poëseos laude excelluit. Praenobilis ac ditissimus, honorum cursum ingressus, florenti aetate senatoria dignitate potitus est. Dein Italiam petiit consul, et Campaniam provinciam nactus,

sedem Nolae statuit. Hic divino lumine tactus, ob caelestia signa quae Felicis presbyteri Martyris sepulchrum illustrabant, verae Christi Fidei quam iam animo cogitabat, impensius adhaerere coepit. Fasces igitur ac securim nulla caede maculatam deposuit, et reversus in Galliam, variis aerumnis ac magnis terra marique laboribus iactatus, oculo capitur, sed a Beato Martino Turonensi Episcopo sanitati restitutus, lustralibus baptismatis aquis a Beato Delphino Burdigalensi Antistite abluitur. Continuo divitiis quibus abundabat spretis, bona vendidit, pretiumque pauperibus distribuit, et uxorem linquens Therasiam, opibus non minus quam virtutibus praestantissimam foeminam, mutata patria, et ruptis vinculis carnis, in Hispaniam secessit, venerandam sequutus ac toto tibi pretiosiorem orbe Christi pauperiem. Barcinone, dum Sacris devote adstaret, sollemni die Dominicae Nativitatis, repentino admiratae plebis tumultu correptus ac frustra reluctans, a Lampridio Episcopo presbyter ordinatur. Inde cum Therasia in sororem conversa redit in Italiam, et Nolae, quo Sancti Felicis religione ductus venerat, penes illius sepulchrum Monasterium condidit, et ipse inter viros, sicuti Therasia inter mulieres, adscitis sociis, coenobiticam vitam aggreditur. Hic vir, iam senatoria et consulari dignitate praeclarus, stultitiam Crucis amplexus, toto fere orbe admirante, vili indutus tunica, vigilias inter ac ieiunia, in assidua caelestium rerum contemplatione, dies noctesque defixus manebat. Sed percrescente sanctimoniae fama, plenis christiani populi suffragiis, ad Nolanum Episcopatum evehitur, atque eodem in pastorali munere obeundo, miranda pietatis, sapientiae, ac potissimum caritatis exempla reliquit. Nam veterem

S. Felicis cryptam, ubi sacrum illius corpus quiescebat, instauravit, maioremque Basilicam, Nolanae quondam Sedis Cathedralem, in eiusdem honorem dicavit, quam mirifice ornatam pretiosis Sanctorum relliquiis locupletavit, additis atrio, bibliotheca, porticibus, aquaeductu, xenodochio, ac celeberrimo coemeterio. Haec inter, sapientia referta, de religione ac fide pertractantia ediderat scripta; saepe etiam, numeris indulgens, concinnis carminibus Sanctorum acta, ac praesertim S. Felicis concelebraverat, summam christiani poëtae famam adeptus. Ille etiam primus erexisse campanariam turrim, et Nolanum sive Campanum aes ad congregandam in templo plebem adhibuisse dicitur. Quotquot sanctitate ac doctrina praestantissimi viri eo tempore erant, tot sibi amicitia atque admiratione devinxit. Sanctis Patribus, Ecclesiae doctoribus ac luminaribus, Ambrosio in primis, Martino, Augustino, Hieronymo ac Sulpitio Severo familiarissime usus est; quam plurimi ad eum ceu ad christianae perfectionis magistrum undequaquam confluebant, sicuti ipse Augustinus ad Licentium scripsit « vade in Campaniam, disce a Paulino ». Vastata a Gothis in Romani imperii exitium ingruentibus Campania, facultatem omnem, ne relictis quidem sibi rebus ad vitam necessariis, in alendos pauperes et captivos redimendos contulit. Postea vero, Vandalis easdem regiones infestantibus, cum ab eo posceret vidua ut filium sibi redimeret ab hostibus captum, consumptis bonis omnibus in officio pietatis, se ipsum pro illo tradit in servitutem, atque in vincula coniectus in Africam rapitur. Mirandum sane ac praeclarissimum christianae caritatis facinus! Tandem non sine praesenti Dei ope, libertate donatus et Nolam reversus, dilectum

ovile, pastor optimus, revisit; ibique verbo et exemplo excitatis clero populoque ad pietatis in Deum mutuique inter se amoris studia, annum agens septuagesimum octavum aetatis suae, placidissimo exitu obdormivit in Domino. Corpus, niveo candore suffusum, magno omnium fletu elatum, Iudaeis ipsis ac Paganis lugentibus, prope S. Felicis sepulchrum conditum est. Postea Longobardorum tempore Beneventum translatum fuit, unde, Othone tertio Imperatore, Romam delatum est, et in Basilica S. Bartholomaei ad insulam Tiberinam compositum. Quoniam vero in Paulinum perbelle cadit nobilissimum illud divinae Sapientiae praeconium, « non re- « cedet memoria eius, et nomen eius requiretur a generatione « in generationem », ita evenit, ut Antistites et clerus populusque tum Nolanae dioecesis, cum universae Campaniae, non intermissum per saecula desiderium servaverint recuperandi mortales exuvias tanti Pastoris ac Patroni. Immo non multis abhinc annis et tu, Venerabilis Frater. atque alii Archiepiscopi et Episcopi Campaniae sollemnem decessori Nostro Leoni Papae XIII fel. mem. ad hunc finem petitionem exhibuistis. Huic petitioni accesserunt suffragia Cardinalium Archiepiscoporum Neapolitani et Capuani, Archiepiscoporum Beneventani, Caietani, Surrentini, Amalphitani et Compsani; Episcoporum Suessani, S. Agathae Gothorum, Stabiani, Aversani, Acerrani, Puteolani, Cavensis-Sarnensis, Nucerini Paganorum, Isclani, Abellinensis, Laquedoniensis, Telesini, Iserniensis-Venafrani, Caputaquensis, Alifiani, S. Angeli, Calvensis-Theanensis, Casertani, Caiacensis, Aquinatensis ac Pontiscurvi, nec non Abbatum nullius dioecesis SSmae Trinitatis Cavensis, ac Montis Virginis. Conlegia quoque canonicorum, parochi, et

clerus, atque universorum omnium Nolanae dioecesis Municipiorum rectores, adsessores, et cives, datis syngraphis, unanimi consensu petitionem ipsam confirmarunt; sed illos, morte praereptus, Decessor Noster diuturni voti compotes reddere nequivit. Nunc autem cum tu, pariter ipsorum Venerabilium Fratrum nomine, Nos iterata prece adieris, eadem expromens vota, auspicatissimam nactus occasionem et Sacerdotalis Nostri Iubilaei et renovationis cathedralis tui Templi, quod, iam igne haustum, modo splendide restitutum et mirandis artis operibus, te curante, decoratum atque auctum, divino cultui denuo aperietur; Nos, ut utriusque eventus perennis exstet memoria, optatis hisce piis annuendum ultro libenterque existimavimus. Etenim spem prope certam fovemus, quin imo minime dubitamus, futurum ut auspicatus hic sacrarum Exuviarum in Campaniam reditus, hac in pulcherrima regione, quae iure meritoque dicta fuit felix, incrementum excitet Fidei, atque exercitationis actuosae christianarum virtutum, quae dumtaxat valent tum ad veram ac duraturam in terris, cum ad aeternam in caelo felicitatem acquirendam. Quae cum ita sint, arcam plumbeam in qua iamdiu a vetustissimis temporibus sacrum Divi Paulini Corpus asservatur, a Praelato fidei Promotore coram duobus testibus rite recognitam et quaquaversus integram repertam, a Basilica Tiberina S. Bartholomaei in Vaticanas Nostras privatas aedes transferendam curavimus; hoc quidem consilio, scilicet ut venerandum illud depositum Nos Ipsi manibus Nostris tibi committamus, Nolam adducendum, in urbem residentiae tuae episcopalis, atque ipso in cathedrali Templo rite condendum, ad altare quod ob magnificentiam et splendorem dignum

apprime volumus, cui tam pretiosi thesauri custodia concredatur. Praeterea peculiari devotionis sensu ducti quo tantum Sanctum prosequimur et recolimus, liturgici quoque cultus decorem extendere atque amplificare volentes, Apostolica Nostra auctoritate, tenore praesentium edicimus ut festum ipsius Sancti Episcopi, quod huc usque ritus simplicis fuit, evehatur in Ecclesia universa ad festum ritus duplicis, celebrandum singulis in posterum annis die vicesima secunda mensis Iunii. Quoad Nolanam vero dioecesim, in qua iure iam festum idem agitur duplici primae classis ritu, mandamus ut in posterum, die a te designando, prouti tibi in Domino expedire videbitur, sollemnis etiam huius SSmi Corporis translationis memoria, quotannis similiter duplici maiori ritu recolatur. Insuper ut dispositionum omnium quae praesentibus Literis continentur, etiam in sacra liturgia, recordatio permaneat, praecipimus ut earundem expressa mentio fiat in tertia lectione secundi Nocturni officii dicti Sancti. Quem ad finem, atque ut ea omnia quae superius ediximus, plenum sortiantur effectum, tibi, Venerabilis Frater, potestatem facimus exhibendi praesentes Literas Nostras iis personis et Congregationibus illis ad quas pertinet voluntatem hanc Nostram exsecutioni mandare. Tandem ut Sollemnia translationis sacri Corporis Divi Paulini etiam cum spirituali christiani populi emolumento agantur, omnibus et singulis fidelibus ex utroque sexu qui die sacro memoriae reditus sanctarum ipsius Exuviarum, vere poenitentes et confessi ac S. Communione refecti, cathedralem Ecclesiam Nolanam a primis vesperis ad occasum solis diei huiusmodi visitent, ibique pro christianorum principum concordia, haeresum

exstirpatione, peccatorum conversione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effundant, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Iis vero qui eodem die, contrito saltem corde, cathedralem dictam Ecclesiam, uti superius diximus, preces fundentes visitent, de numero poenalium, in forma Ecclesiae solita, septem annos totidemque quadragenas expungimus. Postremo largimur fidelibus iisdem, si malint, liceat plenaria ac partiali eadem indulgentia, vita functorum labes poenasque expiare. Non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, etiam speciali atque individua mentione ac derogatione dignis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XVIII Septembris MCMVIII, Pontificatus nostri anno sexto.

L. ✠ S.

R. CARD. MERRY DEL VAL,
a Secretis Status.

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS
DIOECESIS NEO-WESTMONASTERIENSIS IN DOMINIO CANADENSI
AD METROPOLITANAE GRADVM EVEHITVR
TRANSLATA SEDE IN CIVITATEM VANCOVVER
AB EAQVE VANCOVVERIENSI NOMINE ACCEPTO
EIQVE SVFFRAGANEA ASSIGNANTVR
DIOECESIS VICTORIAE IN INSVLA VANCOVVER
ET VICARIATVS APOSTOLICVS DE YVKON

—

PIVS PP. X

AD FVTVRAM REI MEMORIAM

In sublimi Principis Apostolorum Cathedra, nullis quidem meritis Nostris, divinitus collocati, in omnes catholici Orbis partes vigili studio oculos mentis Nostrae convertimus, et quae rei sacrae procurationi melius gerendae faciant, quae catholico nomini aeternaeque fidelium saluti bene, prospere feliciterque eveniant, ea quidem, Apostolica auctoritate interposita, propensa voluntate praestare maturamus. Iamvero cum dioecesis Neo-Westmonasteriensis in Columbia Britannica Dominii Canadensis, provinciae ecclesiasticae Victoriae in insula Vancouver, novis aucta fuerit feliciter incrementis, ac tum catholicorum numero, cum viarum facilitate, ita ceteris eiusdem provinciae ecclesiasticae territoriis prae-

emineat, ut opportunum consilium visum sit, vacante in praesens Metropolitana Sede Victoriensi, novo ordine eandem ecclesiasticam provinciam disponere: Nos, omnibus rei momentis attento ac sedulo studio perpensis cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, de Fratrum eorundem consilio, quae infra scripta sunt decernenda existimavimus. Nimirum omnes et singulos quibus Nostrae hae Literae favent a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, Motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, praesentium vi, dioecesim Neo-Westmonasteriensem praefatam ad dignitatem Metropolitanam evehimus, eiusque Sedem transferendam edicimus e civitate Neo-Westmonasteriensi ad civitatem Vancouver, a qua posthac denominetur Archidioecesis Vancouveriensis. Praeterea eadem Nostra auctoritate pariterque per praesentes volumus ac mandamus, ut actualis archidioecesis Victoriae in insula Vancouver, quae nunc vacat, exinde habeatur tamquam Dioecesis suffraganea praedictae Metropolitanae Sedis Vancouveriensis sic per Nos erectae, una cum Praefectura Apostolica de Iukon, singulis cuiusque territoriis actuali extensione servata. Decernentes praesentes Literas firmas, validas et efficaces semper exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri atque obtinere, illisque ad quos spectat vel spectare poterit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari: sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere,

irritumque esse atque inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque omnibus, speciali licet atque individua mentione ac derogatione dignis, in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XIX Septembris MDCCCCVIII, Pontificatus Nostri anno sexto.

L. ✠ S.

R. CARD. MERRY DEL VAL,
a Secretis Status.

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS

E DIOECESI PEMBROKIENSI IN CANADENSI REGIONE

SEIVNGITVR TERRITORIVM BOREALE

QVOD IN NOVVM APOSTOLICVM VICARIATVM

ERIGITVR

DE TEMISKAMINGVE APPELLANDVM

—

PIVS PP. X

AD FVTVRAM REI MEMORIAM

Pontificum Decessorum Nostrorum vestigiis insistentes, dioeceses nimis amplas, cum gravis momenti rationes id suadere videantur, Apostolica Nostra auctoritate dividimus, ut, aucto Pastorum numero, Dominici gregis incolumitati et bono potiori diligentia ac studio consulamus. Iamvero quum dioecesis Pembrokiensis provinciae ecclesiasticae Octaviensis in Canada amplissimo territorio extendatur, ita ut in septentrionali praesertim tractu nova paranda sint catholicae Fidei subsidia, quibus immigrantium colonorum crescentibus necessitatibus provideatur; Nos, collatis consiliis cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, in boreali plaga memoratae dioecesis Pembrokiensis, ex ea distracta, novum Apostolicum Vicariatum erigendum esse censuimus. Quare omnes et singulos quibus hae Nostrae

Literae favent a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, Motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris deque Apostolicae potestatis plenitudine, praesentium vi, ab ipsa dioecesi Pembrokiensi sequentibus limitibus definitum territorium dismembramus. Ad septentrionem mari cui nomen Sinus de *Hudson* inde a limite orientali districtus de *Keevatin* usque ad promontorium *Henriette;* exinde vero linea quae a dicto promontorio ducta, et per maris sinum *James* transiens, ad oram fluminis porrigitur quod dicitur « Magni Ceti »; dein vero hoc ipso flumine usque ad extremam oram orientalem lacus de *Apiokamisch.* Ad orientem arcu meridiano 72°, qui a dicto puncto descendit usque ad « Altitudinem Terrarum », unde limitatur pars septentrionalis provinciae Quebecensis. Ad meridiem territorium dictum, e dioecesi Pembrokiensi seiugendum, definiatur hac ipsa « Altitudine Terrarum », quae occidentem versus graditur, usque ad limitem occidentalem Comitatus de *Chicoutimi,* ad austrum exinde declinans; postea, hoc occidentali limite ipsius Comitatus de *Chicoutimi,* exinde occidentali limite Comitatus de *Quebec* usque dum perveniatur ad circulum latitudinis qui, ad occidentem vergens, transit per extremitatem septentrionalem Comitatus de *Ottawa,* postea tali circulo latitudinis usque ad dictam extremitatem, exinde linea quae separat Comitatum de *Ottawa* a Comitatu de *Pontiac* usque ad circulum latitudinis 47°, deinceps eodem latitudinis circulo, occidentem versus, usque

ad limites seiungentes dioecesim Pembrokiensem a dioecesi S. Mariae Ormensi: inde vero septentrionem versus, eadem divisionis linea inter duas praedictas dioeceses usque ad « Altitudinem Terrarum », quae separat cursus aquarum adfluentium ad sinum de *James* ab aquis adfluentibus ad Magnos Lacus sitos inter provinciam de *Ontario* et Status Foederatos: postea, occidentem versus, eadem « Altitudine Terrarum » usque ad boream lacus *Nipigon*, et exinde circulo parallelo huius latitudinis usque ad limitem orientalem districtus de *Keewatin*. Ad occidentem autem territorium ipsum definiatur arcu meridiano qui districtum de *Keewatin* ad orientem limitat usque ad sinum de *Hudson*. Hoc autem territorium, quod hisce finibus circumscriptum e dioecesi Pembrokiensi sic, tenore praesentium, separamus, eadem Nostra auctoritate, in novum ac distinctum Vicariatum Apostolicum erigimus, de Temiskamingue denominandum, ipsumque adsignamus provinciae ecclesiasticae Octaviensi. Decernentes praesentes Literas firmas, validas et efficaces semper exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat vel spectare poterit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari: sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, irritumque esse atque inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque omnibus speciali licet atque individua

mentione ac derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXII Septembris MDCCCCVIII, Pontificatus Nostri anno sexto.

L. ✠ S.

R. CARD. MERRY DEL VAL,
a Secretis Status.

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS EX ARCHIDIOECESI CHICAGIENSI
IN FOEDERATIS STATIBVS AMERICAE SEPTENTRIONALIS
CERTVM TERRITORIVM DISTRAHITVR
ET IN NOVAM DIOECESIM ERIGITVR
ROCKFORDIENSEM APPELLANDAM

PIVS PP. X

AD FVTVRAM REI MEMORIAM

Quae rei sacrae procurationi melius gerendae faciant, et quae catholico nomini provehendo aeternaeque fidelium saluti procurandae bene, prospere, feliciterque eveniant, ea ut sedulo studio praestemus, Nos admonet supremi Apostolatus munus, quo in terris, licet immeriti, divinitus fungimur. Iamvero cum Venerabilis Frater Iacobus G. Quingley, Archiepiscopus Chicagiensis in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis, Nos enixe flagitaverit, ut ad maius christiani populi spirituale bonum nova dioecesis in provincia ecclesiastica Chicagiensi erigeretur, per divisionem suae nimis extensae archidioecesis, cumque Venerabiles Fratres Episcopi comprovinciales eiusdem petitioni unanimi consensu adhaererint; Nos de hac proposita divisione ac de novae huius dioeceseos erectione agentes cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei

praepositis, perpensis omnibus rerum adiunctis, nec non attento voto Venerabilis Fratris Diomedis Falconio, Delegati Apostolici in praedicta regione, oblatis hisce precibus annuendum libenti quidem animo existimavimus. Quae cum ita sint, omnes et singulos quibus Nostrae hae Litterae favent a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, Motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris deque Apostolicae potestatis plenitudine, praesentium tenore, distractis ex Archidioecesi Chicagiensi duodecim sequentibus Comitatibus, nempe *Mac Henry, Kendall, Boone, de Kalb, Lee, Whiteside, Ogle, Carroll, Winnebago, Joe Daviess,* et *Stephenson,* ex his novam dioecesim erigimus cum episcopali residentia in civitate *Rockford* appellata, a qua ipsa nomen Rockfordiensis habebit, et cum cathedratico pro sua episcopali mensa discreto arbitrio Episcopi imponendo. Decernentes praesentes Litteras firmas, validas et efficaces semper exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat vel spectare poterit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari: sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque omnibus, speciali licet

atque individua mentione ac derogatione dignis, in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXIII Septembris MDCCCCVIII, Pontificatus Nostri anno sexto.

L. ✠ S.

R. CARD. MERRY DEL VAL,
a Secretis Status.

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
ANTONIO S. R. E. PRESBYTERO CARD. FISCHER
ARCHIEPISCOPO COLONIENSI

—

PIVS PP. X

DILECTE FILI NOSTER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quod solemnem memoriam sacerdotalis consecrationis Nostrae pia erga Nos munificentia ornandam curasti, magnas tibi tuisque agimus grates; id enim officii genus admodum Nobis est in his rerum angustiis opportunum: sed vel maiores agimus, quod alia etiam officia Nobis contulisti, quae valde animum Nostrum recreárunt. Semper Nos quidem animadvertimus, ingentem populum, quem tu regis pastor, professione catholicae fidei et consentaneis professioni moribus excellere: hoc autem anno mirari licet, quantum et religionis amor et praesertim in Christi Vicarium pietas creverit gregis tui. Eius rei argumento Nobis sunt, vel preces gratulationesque ad Deum pro Nobis per dioecesim factae, vel sacrae vestes magno numero e matronis in gratiam Nostri elaboratae et dioecesis ipsius ecclesiis commode distributae, vel suscepta Lauretum et Romam a plurimis peregrinatio, quorum adspectu et significationibus mirifice

delectati sumus. Quum autem prae ceteris, uti par est, suum Nobis studium praestiterit Clerus, tum in hoc ordine praecipue diligentiam amavimus Canonicorum Coloniensium; qui non solum pientissima Nos appellarunt epistola, sed, quum comperissent Nobis in baptismate Melchioris quoque inditum nomen, pergrato etiam atque optato Nos munere affecerunt, oblata particula ex ossibus trium Sanctorum ex Oriente Regum, quae religiosissime apud ipsos custodiuntur. Iamvero haec omnia auspicio instantiaeque tuae magnam partem esse tribuenda, certo scimus. Quare tibi primum, tum ceteris qui Nobis observantiam fidemque suam istic probarunt, ut diximus, singularem Nos benevolentiam caritatemque profitemur: divinae autem benignitatis optima quaeque precamur munera; quorum auspicem, tibi, dilecte Fili Noster, et Clero populoque tuo Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXIII Octobris MCMVIII, Pontificatus Nostri anno sexto.

PIVS PP. X

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
ALEXIO XYSTO EPISCOPO S. HYACINTHI
S. HYACINTHVM

—

PIVS PP. X

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM RENEDICTIONEM

Catholicos Canadenses egregia esse in Iesu Christi Vicarium pietate ac fide, semper iudicavimus: nunc autem, quod attinet ad istam dioecesim, id iudicium probe confirmat epistola, qua Nobis, quinquagesimum sacerdotii agentibus annum, gratularis. Inde enim plane cernimus eam quae tibi tuisque Nobiscum est necessitudo coniunctionis: planeque sentimus vestri ardorem studii in accipiendis exsequendisque praescriptionibus Nostris, quae vel ad integritatem Fidei, vel ad sanctitatem morum tuendam pertinent. Tristia profecto et difficilia Nobis eunt, ut ipse ais, tempora: sed in tantis molestiis et curis, quibus afficimur, non desunt, divino beneficio, opportuna solatia; eaque maxime ab amore et obsequio filiorum optimorum, in quibus vos libenter numeramus. Itaque grato vos complectimur animo, etiam propterea quod necessitati Sedis Apostolicae pro facul-

tatibus subvenistis: rogamusque enixe Deum, ut pro vestris in Nos officiis ipse vobis largiter gratiam referat. Divinorum auspicem munerum, et benevolentiae Nostrae testem, tibi, Venerabilis Frater, et Clero populoque tuo Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXIV Octobris MCMVIII, Pontificatus Nostri anno sexto.

PIVS PP. X

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS INDVLGENTIA PLENARIA
IN PERPETVVM VBIQVE TERRARVM CONCEDITVR
FIDELIBVS
ORATIONEM A CRVCIATA PRECVM APPELLATAM
RECITANTIBVS

—

PIVS PP. X

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Retulit ad Nos Cardinalis Archiepiscopus Pragensis fideles adlectos in piam Associationem, cui titulus « Cruciata precum ad repellendas haereticorum insectationes *(Gebets Kreuzzug)* » recitare solitos esse piam orationem, ut gratiarum omnium auctor Salvator Noster ac Redemptor, Dei vivi Filius Iesus Christus, Catholicos in fide confirmet, a periculo perversionis defendat, in viam perditionis ambulantes a discrimine praestet incolumes, denique impiorum machinationes irritas reddat et arceat. Nos autem, quibus nihil antiquius quam ut christianus populus immutatum tueatur religionis et avitae fidei patrimonium, quum idem Cardinalis Antistes Nos enixe flagitaverit, ut recitantibus piam dictam precem plenariam indulgentiam, servatis de more servandis, largiri de Apostolica benignitate dignaremur, votis

hisce annuendum caelestesque thesauros Ecclesiae, quorum Nobis Altissimus dispensationem commisit, reserandos, ultro libenterque existimavimus. Quae cum ita sint, de Omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum Eius auctoritate confisi, omnibus et singulis fidelibus nunc et in posterum rite adlectis in piam memoratam precum in universo terrarum Orbe Cruciatam, qui vere poenitentes et confessi ac S. Communione refecti ipsam orationem ad repellendas haereticorum insectationes, vel latine, vel teutonice, vel quovis alio idiomate, dummodo versio fidelis sit, iuxta exemplar exaratum latine ac teutonice, quod latine incipit verbis: « *O Iesu, Salvator ac Redemptor meus* »: teutonice autem verbis: « *O Jesus, mein Heiland und Erlöser* », desinit vero latine in haec verba: « *in unitate Spiritus Sancti per omnia saecula saeculorum. Amen.* » ac teutonice: « *des heiligen Geistes von Ewigkeit zu Ewigkeit. Amen.* », quod exemplar in tabulario Secretariae Nostrae Brevium asservari iussimus, quovis anni die vel publice vel privatim pie recitent, ac devote et in quovis publico templo etiam pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effundant, quo die id agant servatis de more servandis, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, quam etiam animabus fidelium in Purgatorio detentis per modum suffragii applicari posse, misericorditer in Domino concedimus et largimur. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Verum praecipimus, ut praesentium Literarum authenticum exemplar ad Secretariam Indul-

gentiarum transmittatur, secus praesentes nullae sint, atque praesentium similiter Literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXXI Octobris MDCCCCVIII, Pontificatus Nostri anno sexto.

L. ✠ S.

R. CARD. MERRY DEL VAL,
a Secretis Status.

EPISTOLA

DILECTO FILIO

HYACINTHO MARIAE CORMIER

SVMMO MAGISTRO ORDINIS PRAEDICATORVM

—

PIVS PP. X

DILECTE FILI

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Domum delectis omnium gentium alumnis ordinis tui educandis iampridem aedificari coeptam, brevi tandem absolutum iri intelligimus, et quidem perlibenter: ibi enim rite exposita et inde diffusa late sapientia Doctoris Angelici tum ad philosophiae, tum ad sacrarum disciplinarum cultum, non dubitamus quin praeclaros ubique fructus latura sit. Id autem Collegium, quod quidem Pontificii titulo ornatum volumus, quum totum aliud futurum sit a Pontificio, quod hodie Romae est, S. Thomae Aquinatis Collegio, siquidem aliam et ampliorem habebit formam, eidem gubernando proprias et peculiares leges, easque ipsius instituto et his temporibus accommodatas, praescribi oportebit. Harum legum caput erit *Ratio studiorum* qua Ordo vester universus utitur: huc accedent vel e statutis veteris Collegii S. Thomae, vel ex aliis probatis fontibus derivata praescripta, quae ad rem pertineant. Nos tibi hoc mandamus negotii, dilecte Fili,

quod tu celeriter, quae tua est diligentia, conficere studebis, adhibitis in consilium, praeter ordinarios Consultores tuos, viris qui tibi videantur doctrina rerumque usu commendabiles; Nostri tamen arbitrii erit, quae vos constitueritis, habere rata atque sancire. Praetereunda vero tibi non est illa Definitorum vestrorum sententia, qua cavetur. ut novum Collegium, praeterquam studiorum, religiosae etiam observantiae laude emineat, atque ita quotquot ibi docuerint didicerint, reduces deinceps in suam quisque provinciam, non modo se penitus doctrinis excultos exhibeant, sed etiam religiosae perfectionis sint aliis exemplo. Sed tamen, quod ad externas austeritates attinet, tibi pro tua prudentia committimus, ut illa adhibeas temperamenta quae, spectatis rerum adiunctis, melius ad finem conducibilia iudicaveris. Atque ut haec omnia suscipias feliciter et perficias, divinae gratiae opportuna tibi precamur munera: quorum auspicem eamdemque paternae benevolentiae Nostrae testem, tibi, dilecte Fili, et omnibus qui te quoquo pacto adiuvabunt, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die VIII Novembris MCMVIII, Pontificatus Nostri anno sexto.

PIVS PP. X

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS

ECCLESIA S. MICHAËLIS ARCHANGELI CIVITATIS PAGANORVM

CONLEGIO PRESBYTERORVM SAECVLARIVM

CONGREGATIONIS SANCTISSIMI REDEMPTORIS ADNEXA

BASILICAE MINORIS TITVLO AVGETVR

—

PIVS PP. X

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Praeclara templa Dei, quae sive Sanctorum exuviis, sive fidelium celebritate ac religione prae ceteris excellant, de more institutoque Romanorum Pontificum singularibus privilegiis non minus quam honoris titulis propensa voluntate decoramus. Haec inter optimo iure sacra illa aedes recensenda videtur, quae adnexa Conlegio Presbyterorum saecularium Congregationis SSmi Redemptoris ac S. Michaëli Archangelo dicata, in civitate vulgo *Pagani* intra fines dioecesis Nucerinae Paganorum exsistit, et ab ipso S. Alphonso Maria de Ligorio delineata fuit. Sancti enim eiusdem Doctoris corpus religiosissime ibidem adservatur, et eximia eius pietatis opera, qui assiduis sermonibus fideles ad christianae vitae decus pro suggestu adhortabatur, oculis ac mentibus omnium adhuc loquuntur. Pii praeterea ingenti

numero peregrinantes, inter quos Episcopi illustresque viri, illuc undique conveniunt, S. Alphonsi opem imploraturi. Quae cum ita sint, enixis memorati Conlegii Moderatoris precibus, qui a Nobis petivit ut conspicuam hanc ecclesiam Basilicae Minoris titulo augeremus, libenti quidem animo censuimus obsecundandum. Quare, Apostolica auctoritate Nostra, praesentium tenore, quam supra diximus ecclesiam in honorem S. Michaëlis Archangeli erectam, atque in civitate vulgo *Pagani* dioeceseos Nucerinae Paganorum exsistentem, Basilicae Minoris titulo perpetuo cohonestamus, eique omnia et singula conferimus iura, privilegia, honores, praerogativas, indulta quae Minoribus huius almae Urbis Nostrae Basilicis de iure competunt. Decernentes praesentes Literas firmas, validas et efficaces semper exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat vel spectare poterit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, irritumque esse atque inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die IX Novembris MDCCCCVIII, Pontificatus Nostri anno sexto.

L. ✠ S.

R. CARD. MERRY DEL VAL,
a Secretis Status.

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
GEORGIO S. R. E. PRESBYTERO CARD. KOPP
EPISCOPO VRATISLAVIENSI

—

PIVS PP. X

DILECTE FILI NOSTER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quum erga Nos animum egregie pium, quum aliis saepe argumentis testari soles, tum ea largitate ac munificentia qua tenuitati Sedis Apostolicae subvenire studes. Hoc pietatis munere nunc, ad solemnem Sacerdotii Nostri memoriam celebrandam, praeclare fungeris, copiam offerens Petrianae stipis, eamque cum accessione non exigua liberalitatis tuae. Nos te quidem ac tuos de huiusmodi etiam officio valde amamus, debitamque gratiam agimus vobis et habemus. Eam autem ut pro Nobis referat, rogamus enixe Deum, a quo lectissima quaeque bona vobis adprecamur. Horumque auspicem, et paternae Nostrae benevolentiae testem, tibi, dilecte Fili Noster, et Clero populoque tuo Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XVII Novembris MCMVIII, Pontificatus Nostri anno sexto.

PIVS PP. X

EPISTOLA

DILECTO FILIO

AMBROSIO MONTAGNE SACERDOTI ORDINIS DOMINICANI

—

PIVS PP. X

DILECTE FILI

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Haud sane diu est cum dilectus filius Thomas Coconnier commentarii *Revue Thomiste* volumina quindecim, vertente Sacerdotii Nostri anno quinquagesimo, Nobis obtulit: cui quidem religioso viro, optimo ac strenuo veritatis defensori, quum meritas pro eo munere gratias agere vellemus, tristem necopinato nuntium de ipsius morte accepimus. Aegre id tulimus, praesertim quia videbatur is Commentarius posse cum auctore suo dilabi; at vero huic rei feliciter occurrerunt moderatores istius Ordinis, qui, quod ille instituerat, non modo non passi sunt intercidere, sed etiam promovendum putarunt: cui te negotio, dilecte Fili, praefecerunt. Opus habes in manibus profecto non difficultatibus vacuum, tum quia, ut doctrina Aquinatis apte adhibeatur ad multiplices gravesque dirimendas quaestiones quae nunc agitantur, ipsius principia et horum inter se colligationem penitus perspexisse oportet; tum quia plures hodie, nimium studiosi novitatum, veterem Thomae sapientiam, quamvis

sine intermissione ab Apostolica Sede commendatam, aut fastidiunt, aut certe non tanti faciunt quanti par est. Sed tamen confidimus fore, ut tu cum tuis adiutoribus, concordia solertiaque vestra, sensim impedimenta superetis omnia; et doctrinam Aquinatis incorruptam atque integram propagando, ipsos qui a christiana philosophia alieni sunt, paullatim adducatis ut hunc adeant sapientiae fontem, in omni disciplinae genere uberrimum. Praeclarum enimvero munus: quo quidem fungemini vel commodius, si studium quod in scriptis Doctoris Angelici ponitis, cumuletis imitatione virtutum quae in eo eluxerunt; ac sequamini praesertim eius orandi assiduitatem, obsequium magisterio Ecclesiae, humilitatem modestiamque animi, atque in adversarios vel asperrimos lenitatem ac mansuetudinem. – Quae ut e sententia succedant, auspicem caelestium munerum, tibi, dilecte Fili, et omnibus qui tuos labores aliquo pacto adiuverint, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXIII Novembris MCMVIII, Pontificatus Nostri anno sexto.

PIVS PP. X

DVBIA

DE MISSIS IN NOCTE NATIVITATIS DOMINI

(Suprema S. Congregatio S. Officii)

—

Feria V die 1 Augusti 1907.

Sanctissimus D. N. D. Pius divina providentia PP. X in solita audientia R. P. D. Adsessori S. Officii impertita, ad fovendam fidelium pietatem eorumque grati animi sensus excitandos pro ineffabili Divini Verbi Incarnationis mysterio, motu proprio, benigne indulgere dignatus est ut in omnibus et singulis sacrarum virginum monasteriis clausurae legi subiectis aliisque religiosis institutis, piis domibus et clericorum seminariis, publicum aut privatum Oratorium habentibus cum facultate sacrae Species habitualiter ibidem asservandi, sacra nocte Nativitatis D. N. I. C. tres rituales Missae vel etiam, pro rerum opportunitate, una tantum, servatis servandis, posthac in perpetuum quotannis celebrari sanctaque Communio omnibus pie petentibus ministrari queat. Devotam vero huius vel harum Missarum auditionem omnibus adstantibus ad praecepti satisfactionem valere, eadem Sanctitas Sua expresse declarari mandavit.

Contrariis quibuscumque nŏn obstantibus.

Hoc decreto evulgato, quae sequuntur dubia fuerunt proposita:

I. An indultum importet facultatem tres missas, vel unam tantum pro rerum opportunitate celebrandi *etiam apertis Oratoriorum ianuis?*

II. An indultum *Oratoriis* concessum extendi possit ad *Ecclesias* Religiosorum, quae publico fidelis populi usui inserviunt.

SSmus D. N. Pius Papa X in audientia R. P. D. Adsessori S. Officii die 26 mensis Novembris anno 1908 concessa respondit:

Ad I. *Negative.*

Ad II. *Negative,* salvo tamen Religiosorum privilegio in media nocte missam celebrandi.

ALOISIVS CASTELLANO, *Notarius.*

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS

ECCLESIA S. LAVRENTII IN LVCINA DE VRBE

TITVLO BASILICAE MINORIS

DECORATVR

—

PIVS PP. X

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Satis constat ecclesiam Sancti Laurentii in Lucina, vetustate, structura et artis operibus insignem, inter praecipuas almae huius Urbis iure meritoque esse accensendam. Hoc enim templum primus est presbyteralis titulus post Basilicas Patriarchales, atque, in praenobili Urbis regione situm, et populi frequentia et divini cultus splendore summopere floret. Iamvero cum in ipsum templum iuxta tenorem Apostolicarum Literarum quarum initium: *Susceptum*, quasque edidimus IX Kalendas Novembres anno MDCCCCVI, propediem sit transferendum Capitulum S. Angeli in Foro Piscium, quod titulum assumet Capituli S. Michaëlis Archangeli ad S. Laurentii in Lucina, ipsiusque Capituli Canonici Nos enixis precibus flagitaverint, ut ecclesiam, tot tantisque nominibus conspicuam, peculiaris honoris titulo cohonestare dignaremur, Nos votis hisce annuendum libenti quidem

animo existimavimus. Quare Motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium vi, ecclesiam S. Laurentii in Lucina de Urbe ad Basilicae Minoris dignitatem evehimus, illique honores omnes et privilegia conferimus quae Minoribus almae huius Urbis Nostrae Basilicis de iure competunt. Decernentes praesentes Literas firmas, validas et efficaces semper exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri atque obtinere: illisque ad quos spectat vel spectare poterit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, irritumque esse et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXVII Novembris MDCCCCVIII, Pontificatus Nostri anno sexto.

L. ✠ S.

R. CARD. MERRY DEL VAL,
a Secretis Status.

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
HENRICO ARCHIEPISCOPO HISPALENSI
HISPALIM

—

PIVS PP. X

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quam tu et Venerabiles Fratres qui tecum in unum convenerant, misistis ad Nos epistolam, ea Nos valde delectavit, non solum quia vestram et populorum vestrorum declarabat in Nos pietatem, solemnibus Sacerdotii Nostri gratulantium, sed etiam quia pastorale studium vestrum indicabat. Intelleximus enim ob eam causam una vos fuisse, ut primum de sacris concentibus ad praescriptum Nostrum temperandis ageretis, deinde ut catholicorum coetum de re sociali, istic habitum, uti assolet, per septenos dies, praesentia vestra honestaretis. Illud scilicet postulabat a vobis dignitas divini cultus, hoc utilitas christianae societatis: quod utrumque vobis esse cordi, gaudemus. Quare et de vestra muneris diligentia tribuimus vobis laudem, et pro vestro in Nos officio gratias agimus. Haec tu ceteris Venerabilibus Fratribus significes, mandamus; itemque cum iis

Apostolicam Benedictionem communices, quam divinorum munerum auspicem, tibi, Venerabilis Frater, Collegis tuis, et uniuscuiusque vestrum gregi amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die VIII Decembris MCMVIII, Pontificatus Nostri anno sexto.

PIVS PP. X

EPISTOLA

DILECTO FILIO

VITALI LEHODEY

ABBATI EX ORDINE CISTERCIENSIVM REFORMATORVM

—

PIVS PP. X

DILECTE FILI

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Is tuus liber de *Les voies de l'Oraison Mentale,* cuius Nobis dedisti exemplar, quamquam in argumento sacris auctoribus usitato versatur, non tu tamen rem supervacaneam fecisti scribendo; imo valde utilem, nec solum religiosis hominibus, sed etiam omnibus quicumque perfectionem christianae vitae assequi contendunt. Certe de opere isto tale intelligentium est iudicium, quibus tua et doctrina et peritia iure probatur. Nos igitur cum gratias tibi agimus, tum gratulamur; et quos ex labore tuo fructus communis pietatis expectas, ii ut uberes sequantur, exoptamus. Divinorum autem munerum auspicem, et benevolentiae Nostrae testem, tibi, dilecte Fili, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XIII Decembris MCMVIII, Pontificatus Nostri anno sexto.

PIVS PP. X

EPISTOLA

VENERABILIBVS FRATRIBVS
BERNARDO ARCHIEPISCOPO BOGOTENSI
CETERISQVE ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS
REIPVBLICAE COLVMBIANAE
BOGOTAM

—

PIVS PP. X

VENERABILES FRATRES
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Vestra erga Christi Vicarium pietas et fides praeclare eminet ex eis litteris quas occasione solemnis coetus a vobis habiti misistis ad Nos, ut, vestro et totius nationis Columbianae nomine, ob Iubilaeum sacerdotii Nostri gratularemini. Quamquam de omnium vestrum in Nos voluntate nihil unquam dubii Nobis fuit, delectamur valde his litteris, quae certe ad fovendam istius ecclesiae cum Apostolica Sede coniunctionem pertinent. Sed hoc praesertim placet, quod scribitis, vos, quemadmodum Nobis in optatis erat, in unum convenisse ut, praesidente Delegato Apostolico, de accuranda Columbiani populi sempiterna salute consultaretis. Quae ceperitis consilia, pro certo habemus esse peropportuna: eadem ut frugifera et fructuosa sint, divinae vobis gratiae munera exposcimus. Quorum auspicem et bene-

volentiae gratique animi Nostri testem, vobis, Venerabiles Fratres, et Clero populoque uniuscuiusque vestrum curae concredito, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XIX Decembris MCMVIII, Pontificatus Nostri anno sexto.

PIVS PP. X

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS

COENOBIVM CVM ADNEXO CONLEGIO

IN OPPIDO « COBRECES » DIOECESIS SANTANDERIENSIS

CANONICE ERIGITVR

—

PIVS PP. X

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Pia religiosorum coetuum opera, quibus ii non minus Dei gloriae quam iuvenum institutioni vacant, de more exemploque Romanorum Pontificum propensae voluntatis Nostrae prosequimur testimonio. Tum vero dilectus Filius Abbas Monasterii B. M. V. de Deserto, Ordinis Cisterciensium Reformatorum, in dioecesi Tolosana, Nobis exponendum curaverit, se, quum sua religiosa familia in discrimine esset ut e Galliis exturbaretur, generosi spectati viri cui nomen « Bernaldus de Quiros » legatum accepisse. quo coenobium seu asylum cum adnexa schola agriculturae tradendae in vico vulgo *Cobreces*, dioeceseos Santanderiensis, sub titulo B. M. V. de Via caeli conditum fuit; Nos huiusmodi Institutum, quo maiora in Deo suscipiat incrementa, gratiis ac iuribus censuimus locupletandum. Quare omnes et singulos, quibus hae Nostrae Literae favent, peculiari benevolentia complectentes, ac precibus praedicti Abbatis,

quibus et Procurator Generalis eiusdem Ordinis et Santanderiensis Antistes suis votis suffragantur. obsecundare volentes; memoratum coenobium cum ei adnexo collegio, omnibus requisitis ad hoc pollens, iuxta Decretum Sacrae Congregationis negotiis et consultationibus Regularium praepositae, canonice erigimus atque instituimus, cum omnibus privilegiis et gratiis spiritualibus quibus legitimae aliae Domus praefati Ordinis fruuntur et gaudent, dummodo tamen in eo omnia habeantur quae de iure requiruntur, ad formam Sacrorum Canonum et Apostolicarum Constitutionum. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXI Decembris MCMVIII, Pontificatus Nostri anno sexto.

L. ✠ S.

R. CARD. MERRY DEL VAL,
a Secretis Status.

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI

FRANCISCO XAVERIO EPISCOPO TARBIENSI

TARBAS

—

PIVS PP. X

VENERABILIS FRATER

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Sacra solemnia quae ad oppidum Lourdes peracta sunt in honorem Mariae Immaculatae, quod ibi quinquaginta ante annis puellam Soubirous praesentia sua et alloquio beavit, prospere feliciterque accepimus evenisse, quum frequentes piorum manus undique continuatione quadam eo confluxerint, et caeremonias sanctissimas summa cum religione celebrarint. Ita existimare licet, praeclaros inde exstitisse fructus pietatis publicae; nec solum crevisse in animis multorum amorem cultumque Deiparae, sed etiam observantiam fidemque erga Vicarium Christi; siquidem placuit, festa illa Marialia et Iubilaeum sacerdotii Nostri coniunctis significationibus atque studiis colere. Non autem ignoramus quantam tu operam et curam in tota hac re posueris, eaque si tam bene successit, diligentiae instantiaeque, non exigua ex parte, tribuendum tuae. Quum igitur gratulamur tibi, tum libenter merita te laude ornamus: Deum vero, quem

tu certe pro tuis in Mariam religionis officiis demeruisti, ut gratiae suae te muneribus cumulet, precamur. Quorum auspicem, et benevolentiae Nostrae testem, tibi. Venerabilis Frater, et Clero populoque tuo Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXIII Decembris MCMVIII, Pontificatus Nostri anno sexto.

PIVS PP. X

INDEX

ANN. MDCCCCVII-MDCCCCVIII

SERIES ALTERA.

Epistola « *Quod annos* », diei 1 Ianuarii 1907, ad Georgium S. R. E. Presb. Card. Kopp. Ei annum quintum ac vicesimum ab inito Episcopatu explenti gratulatur . . . . . PAG. 7

Epistola « *Gratum Nobis* », diei 10 Ianuarii, ad Mauritium Demimuid, Protonotarium Apostolicum, Pii Operis a Sancta Infantia moderatorem generalem. Gratias agit de litteris et de volumine litteris adiuncto. Omnibus de supremo consilio gratulatur, quod ex iis pateat Opus nil detrimenti anno superiore passum esse, eosque hortatur ut pergant in opere strenue incepto . . » 9

Epistola « *Societatem vestram* », diei 25 Ianuarii, ad P. Calon et consilium generale Societatis Vincentianae. Eis gratulatur de profectu Societatis, etiam in Gallia, non obstantibus hodiernis difficultatibus, eosque hortatur ut pergant bene de Ecclesia mereri . . . . . » 11

Epistola « *Documentum sane* », diei 10 Februarii, ad Iosephum Sebastianum S. R. E. Presb. Card. Neto, Patriarcham Olyssipponensem, et Archiepiscopos et Episcopos Lusitaniae. Lusitanum in Urbe collegium laudat et hortatur Episcopos ut adolescentes ad illud mittant dioecesanis sumptibus educendos . . . . » 13

Epistola « *Egregie vos* », diei 22 Februarii, ad Ioannem Lerolle, praesidem, et supremum Consilium Consociationis catholicae ex Gallia. Consociationem ipsam, conventum Burdigalae mox inituram, ob coniunctionem cum Episcopis, ob finem sibi propositum et rationes ad eum assequendum initas laudat, et ad incepta strenue persequenda excitat . . . . . » 16

Decretum « *Vigilanti cura* » S. R. et U. Inquisitionis, diei 6 Martii, quo confirmatur excommunicationis sententia in Iosephum Renatum Vilatte iam lata . . . . . Pag. 19

Decretum « *Ea est in quibusdam* » Sacrae Congregationis Consistorialis, diei 25 Martii, quo provincia civilis Santiago del Estero in Republica Argentina, a dioecesi Tucumanensi discerpta, in novam dioecesim erigitur, Sancti Iacobi de Estero nuncupandam. . . . . » 21

Epistola « *Codicis diplomatici* », diei 30 Martii, ad Rodulfum Maiocchi Sac., ab intimo cubiculo, et Nazarenum Casacca Sac., sodalem Augustinianum. Gratum animum testatur pro duobus voluminibus fastorum Ticinensium Sodalium Augustinianorum Sibi oblatis . . . . . » 29

Litterae Apostolicae sub annulo « *Cogitantibus Nobis* », diei 12 Aprilis, quibus dioeceses Interamnensis et Narniensis aeque principaliter inter se coniunctae declarantur . . . . . » 31

Decretum « *In generali conventu* », diei 1 Maii, Supremae S. Congr. S. Officii, de ieiuniis et abstinentiis religiosarum utriusque sexus familiarum propriis . . . . . » 34

Litterae Apostolicae sub annulo « *Quam multa* », diei 3 Maii, ad Philippum Patriarcham Hierosolymitanum. Insigne Ordinis equestris a S. Sepulchro militari tropaeo ornatur, Patriarcha Hierosolymitanus pro tempore Locum Tenens Ordinis nominatur, Equites triplici ordine distinguuntur, pro unaquaque regione Patriarchae vicem obtinentes peculiari decorantur Cruce, eique ex eis qui Romana Ordinis negotia expediat, vacante sede Patriarchali, totius Ordinis negotia urgentia gerenda tribuuntur 35

Epistola « *Sub exitum* », diei 6 Maii, ad Franciscum Mariam S. R. E. Presb. Card. Richard, Archiep. Parisiensem, ceterosque Archiepiscopos et Episcopos Galliae Instituti catholici Parisiensis patronos. Proxime ad rationes Instituti eiusdem conferendas conventuros hortatur ut in tot temporum difficultatibus Institutum novis disciplinis augeant ad adversarios refellendos, et alumnos desiderari non sinant. Commendat philosophiae Tho-

misticae studium ad normam Encyclicarum Litterarum « *Aeterni Patris* », ut novae sententiae, superbia et veterum fastidio innixae, repellantur. . . . . PAG. 38

Epistola « *Nihil magis* », diei 8 Maii, ad Dominicum ex Ordine Cistercensium, Episcopum Limburgensem. Summopere laudat eius consilium Clericorum Seminarium condendi, quo dioecesis illa iam nimium diu caruit, et fideles hortatur ut ad id stipem conferant . . . . . » 41

Litterae circulares « *La Sacra Congregazione dei VV. e RR.* », diei 10 Maii, S. Congr. Episcoporum et Regularium, ad omnes Italiae Ordinarios, de ratione studiorum in Seminariis italicis adhibenda. Eis additur: *Programma generale di studi,* quod in sex capita digestum, agit de divisione curriculi, de gymnasio, de lyceo, de anno theologiae propaedeutico, de theologia, de normis communibus, et in tribus tabellis numerum Horarum impendendum in singulas disciplinas infra Hebdomadam tradendas exhibet . . . . . » 43

Epistola « *De Societate dilatandae* », diei 7 Iunii, ad Iacobum Eduardum Archiep. Chicagiensem. Societatem Ecclesiae catholicae dilatandae ad obsistendum conatibus acatholicorum contra fidem praesertim ruricolarum, ad eam inter acatholicos provehendam, ad catholicos Sacerdotum ministerio destitutos accurandos in Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis institutam, et Episcoporum auctoritati inhaerentem maxime commendat, S. Philippo Nerio ut patrono committit et indulgentiis auget » 52

Epistola « *Communis epistola* », diei 12 Iunii, ad Andream S. R. E. Presb. Card. Ferrari, Archiep. Mediolanensem ceterosque Episcopos Insubrium. De communi epistola Raudiis Campis Sibi inscripta gratias agit, gratulatur de diligentia in doctrina fidei et disciplina Ecclesiae tuendis adhibita et B. Virginis auxilium pro eis invocat . . . . . » 55

Litterae Apostolicae sub plumbo « *Ea semper fuit* », diei 14 Iunii, de rutheni ritus Episcopo constituendo et rutheni item cleri populique disciplina moderanda in Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis . . . . . » 57

Decretum « *Inter Ecclesias* », diei 29 Iunii, S. Congr. Consistorialis, quo templum B. M. Virginis sub titulo « Salus Infirmorum »

in civitate Patzcuaro archidioecesis Mechoacanensis in Republica Mexicana in Collegiatam erigitur. . . . . Pag. 69

Decretum « *Lamentabili sane* », diei 4 Iulii, S. R. et U. Inquisitionis quo plures erroneae propositiones damnantur . . . . . » 76

Epistola « *Solemnis Catholicorum* », diei 14 Iulii, ad Vincentium S. R. E. Card. Vannutelli, Episcopum Praenestinum. Conventus Ecclesiasticos, maxime ad christianam vitam conferentes, summopere probat. V. E. suum Legatum ad Conventum Metensem proxime habendum renuntiat. Omnes demum hortatur ut Iesum in Eucharistia viventem, fontem omnium gratiarum, adeant . . . . . » 85

Litterae Apostolicae sub annulo « *Satis constat* », diei 17 Iulii, quibus Sedes episcopalis Costantiensis honore sacri pallii augetur » 88

Breve gratulatorium « *In hac Beati Petri* », diei 19 Iulii. Labente anno quinquagesimo a Collegio Americano Lovanii in Belgio condito adulescentibus ex variis Europae regionibus ad sacrum ministerium in America exercendum parandis, gratulatur de optimis fructibus Ecclesiae partis et propensae Suae in collegium voluntatis sensus significat. . . . . » 90

Epistola « *In causa sane gravissima* », diei 25 Iulii, ad Archiepiscopos et Episcopos regionis Picenae. Valde delectatur communibus litteris e Lauretano coetu ad Se datis, commendat propositum disciplinam in Seminariis novandi et gratias agit de precibus in aede Deiparae sacerrima pro Se fusis . . . . . » 93

Epistola « *De consociatione ab Apostolatu Eucharistico* », diei 20 Augusti, ad Victorem Lucianum S. R. E. Presb. Card. Lécot, Archiep. Burdigalensem. Consociationem, utpote perutilem ad divinam gloriam et salutem animarum ubique terrarum procurandam, valde commendat, et piam obsecrationem: *Cor Iesu Sacratissimum, te amore mei flagrare credo,* indulgentia 300 dierum auget. . . . . » 95

Instructio « *Recentissimo Decreto* », diei 28 Augusti, S. R. et U. Inquisitionis, ad locorum Ordinarios Familiarumque religiosarum

Moderatores, quo ii omnes qui erroribus per Decretum « *Lamentabili sane* » damnatis infecti cognoscuntur vel merito suspecti habentur, a tradendis disciplinis et a sacra Ordinatione arceri iubentur et omnes ecclesiastici viri monentur ne diariis errores eosdem profitentibus dent nomen. . . . . PAG. 97

Decretum « *Spirituali fidelium* », diei 8 Septembris, S. Congr. Consistorialis, quo civitas Campañha in Brasiliana Republica, certis quibusdam eidem adnexis paroeciis, e dioecesi de Pouso Alegre dismembratur et ad Sedis episcopalis dignitatem evehitur. » 99

Epistola « *Vestrum ad Sancti Bonifacii* », diei 9 Septembris, ad Georgium S. R. E. Presb. Card. Kopp, Episcopum Vratislaviensem, Antonium S. R. E. Presb. Card. Fischer, Archiep. Coloniensem, Thomam Archiepiscopum Friburgensem ceterosque Germaniae Episcopos, qui Fuldam convenerant. Eorum laudat cum Apostolica Sede coniunctionem et pastoralem diligentiam, quae ex communibus litteris ad Se missis depromitur, periculum fidelium nimium acatholicorum placitis concedentium, quorum a Fide Catholica aberrantiam iam damnavit, eos praeventuros confidit . . . . . » 107

Litterae Apostolicae sub annulo « *Quae rei sacrae* », diei 11 Septembris, quibus residentia dioecesis Nesqualliensis transfertur in urbem Seattle, ipsique dioecesi nomen Seattlensis imponitur. . . . . » 110

Motu proprio « *Singulari curare* », diei 17 Septembris, de Collegio Poenitentiariorum Ordinis Fratrum Minorum in Sacrosanta Basilica Lateranensi reformando . . . . . » 112

Motu proprio « *In domibus Ordinum* », diei 17 Septembris, de familia Fratrum Minorum, Neapoli ad S. Clarae commorantium, reformanda . . . . . » 114

Epistola « *Tempus propediem aderit* », diei 28 Septembris, ad Claudium S. R. E. Presb. Card. Vaszary, Archiep. Strigoniensem, Iosephum S. R. E. Presb. Card. Samassa, Archiepisc. Agriensem, ceterosque Archiepiscopos et Episcopos Hungariae. Consilium laudat celebrandi septies saecularia sollemnia ab obitu

S. Elisabethae, quibus Imperialis ipsa familia praeest, quaeque fructus optimos Fidei christianae certe latura sunt. Imitanda proponit omnium virtutum exempla a sanctissima Regina in omni vitae conditione oblata, indulgentiam plenariam concedit omnibus fidelibus sub clausulis consuetis, et Benedictionem Apostolicam populis impertiendi ipsis Episcopis facit potestatem . . . . . PAG. 117

Decretum « *Romani Pontifices* », diei 29 Septembris, S. Congr. Consistorialis, quo seiungitur e Goyasensis dioecesis territorio illa pars quae *Triangolo Mineiro* appellatur, atque ex ea, certis quibusdam additis paroeciis Adamantinae dioecesis, nova constituitur Sedes episcopalis de Uberaba . . . . . » 121

Litterae Apostolicae sub annulo « *Summa Deus* », diei 27 Novembris, quibus, occurrente quinquagesimo anniversario ab apparitionibus B. Mariae V. de *Lourdes*, in eius honorem indulgentia plenaria in forma Iubilaei cryptam Lapurdensem visitantibus conceditur, unius anni spatio semel lucranda . . . . . » 129

Decretum « *Litteris ad Apostolicam Sedem* », diei 30 Novembris, Sacrae Congregationis Consistorialis, quo paroeciae *Ojuelos* et *Paso de Sotos* in Mexicana Republica, e territorio dioecesis de Guadalajara seiunctae, dioecesi de Aguas Calientes adnectuntur . . . . . » 132

Litterae Apostolicae sub annulo « *Quae rei sacrae* », diei 2 Decembris, quibus Vicariatus Apostolicus de Saskatchewan, Provinciae ecclesiasticae S. Bonifacii in ditione Canadensi, erigitur in dioecesim, a Principe Alberto nuncupandam . . . . . » 135

Litterae Apostolicae sub annulo « *Ad summum Sacerdotii* », diei 10 Decembris, quibus territorium vulgo *Rio Branco*, in Brasiliana Republica, e dioecesi de Manaos seu Amazonum seiunctum, in Abbatiam Nullius erigitur, quae iurisdictioni Abbatis Beatae Mariae Virginis de Monteserrato Ordinis S. Benedicti subiicitur . . . . . » 137

Epistola « *Solemnia sacra* », diei 24 Decembris, ad Victorem Lucianum S. R. E. Presb. Card. Lécot, Archiepiscopum Burdigalen-

sem. Eum Legatum suum renuntiat ad sollemnia quinquagenaria apparitionis B. Mariae Virg. de *Lourdes*. . . . Pag. 141

Epistola « *Nobis quidem* », diei 21 Ianuarii 1908, ad Doctores, collegiatos et Magistros S. Theologiae et Philosophiae christianae tradendae in Seminario provinciali Calaritano. Eos laudat de reverentia qua Encyclicas Litteras de Modernistarum doctrinis acceperunt, et hortatur ut ab hac errorum peste alumnos sacri Ordinis ipsis creditos, sinceros et incolumes praestent . . » 143

Litterae Apostolicae sub annulo « *Christiani nominis* », diei 22 Ianuarii, quibus Ven. Dei Famula Maria Magdalena Postel, Sororum Scholarum Christianarum a Misericordia fundatrix, Beatae nomine et honoribus decoratur . . . . . » 145

Epistola « *In libris* », diei 22 Ianuarii, ad Ianuarium Bucceroni S. I., doctorem decurialem Theologiae morali tradendae in Athenaeo Gregoriano. Laudat « Institutiones » ab eo compositas secundum doctrinam Aquinatis et Ligorii, et grati animi sensus significat de voluminibus Sibi reverenter oblatis ob solemnem memoriam sacerdotalis Suae consecrationis . . . . . » 155

Litterae Apostolicae sub annulo « *Inexhausta Deus caritate* », diei 31 Ianuarii, quibus Ven. Dei Famula Magdalena Sophia Barat, Societatis a Sanctissimo Corde Iesu fundatrix, Beatae nomine et honoribus augetur . . . . . » 157

Epistola « *Quod Nos certiores* », diei 2 Februarii, ad Alexium Mariam Lépicier, Sacerdotem ex Ordine Servorum Mariae, doctorem decurialem S. Theologiae tradendae in scholis Collegii Urbaniani. Gaudet de Opere proxime edendo de S. Iosepho, Beatae Mariae Virginis Sponso, quem Sibi dicari libenter sinit . » 168

Epistola « *Volumina a te* », diei 12 Februarii, ad Hippolytum Leroy S. I. Gratulatur de opere ab eo conscripto Sibique oblato, cui titulus: *Leçons d'Ecriture Sainte: Jésus-Christ, Sa Vie, Son Temps;* et opus auctoremque laudat . . . . . » 170

Decretum « *Decreto consistoriali* », diei 25 Februarii, S. Congr. Consistorialis, quo restituitur in civitatem Nicteroy Sedes episco-

palis dioecesis Petropolitanae, ab ea deinceps iterum Nichteroyensis nuncupandae . . . . . Pag. 172

Litterae Apostolicae sub annulo « *Ad Apostolicae Sedis* », diei 6 Martii, quibus Cathedrales Ecclesiae Lucerina et Troiana aeque principaliter inter se unitae in perpetuum declarantur. . . . » 177

Decretum « *Sacerdotem* », diei 7 Martii, S. R. et U. Inquisitionis, quo sacerdos Alfredus Loisy sententia maioris excommunicationis nominatim ac personaliter mulctatur. . . . . » 182

Litterae Apostolicae sub annulo « *Quae catholico nomini* », diei 6 Martii, quibus Vicariatus Apostolicus de Mackenzie dismembratur, ex eoque nova efformatur Praefectura Apostolica de Yukan in provincia ecclesiastica Victoriae, in Dominio Canadensi . . . . . » 183

Litterae Apostolicae sub annulo « *Ex hac Beati* », diei 10 Martii, quibus Praefectura Apostolica de Stanley Falls in Vicariatum erigitur . . . . . » 186

Epistola « *Tuum illud opusculum* », diei 10 Martii, ad Eduardum Thomam Episcopum Limericiensem. Ei gratulatur quod memoriam Cardinalis Newman, pro sua scriptorum eius omnium notitia egregia, ab iniusta modernismi imputatione vindicaverit. Dolet tamen haberi catholicos qui magis privati doctoris, etsi insignis, auctoritati fidant quam Sedis Apostolicae. . . . . » 188

Epistola « *Iamdudum te* », diei 10 Martii, ad Carolum Sauvé, Presbyterum Sulpitianum. Gratias agit ob volumina de mystica theologia, ab eo confecta Sibique reverenter oblata, quae maxime collatura confidit ad propositum Suum omnia in Christo instaurandi, amorem religioni cultumque christianarum virtutum in bonis fovendo. . . . . » 191

Decretum « *Anno millesimo* », diei 25 Martii, S. Congr. Consistorialis, quo quaedam paroeciae, e dioecesi Mutilana dismembratae, dioecesi Sarsinatensi tribuuntur. . . . . » 193

Epistola « *Immortalia promerita* », diei 31 Martii, ad Ludovicum Nazarium Archiepiscopum Quebecensem, et ad ceteros Archiepi-

scopos et Episcopos Foederatarum Civitatum Canadensium. Probat consilium solemnia festa celebrandi tertio exeunte saeculo ab urbe Quebec condita, simulque altero ab obitu Francisci de Montmorency Laval, primi Quebecensium episcopi. Canadensem populum laudat, ob fidem et coniunctionem cum Sede Apostolica, et laetatur de libertate a Republica largissime Ecclesiae concessa. Commemorat hujus benefacta in Canadensem populum inde ab origine; labores Sodalium Societatis Iesu a Samuele de Champlain eo accitorum; res gestas item Francisci de Laval primi Canadensium episcopi; sacras ab eo Missiones in tota America Septentrionali curatas, Seminarium Quebecense institutum, ex quo Lavallianum Lyceum, de Ecclesia et civitate optime meritum, est ortum . . . PAG. 197

Litterae Apostolicae sub annulo « *In persona* », diei 5 Aprilis, quibus restituitur Collegiale Capitulum ad S. Ambrosii Maioris Mediolani . . . . . » 203

Decretum « *Apostolicam Sedem* », diei 6 Aprilis, S. Congr. Consistorialis, per litteras Apostolicas sub plumbo expeditum, quo certum territorium e dioecesi de Truxillo in Peruviana Republica dismembratum, in novam erigitur dioecesim de Cajamarca nuncupandam . . . . . » 208

Epistola « *Vertente hoc anno* », diei 8 Aprilis, ad Claudium S. R. E. Presb. Card. Vaszary Archiep. Strigoniensem. Ei grati animi sensus significat ob litteras, quibus communia vota Episcoporum Hungariae pro anno sacerdotii Sui quinquagesimo significavit, simulque ob pastoralem epistolam, qua fideles, hac occasione arrepta, incitantur ad sacramenta adeunda . . » 216

Litterae Apostolicae sub annulo « *Romani Pontifices* », diei 14 Aprilis, quibus Praefectura Apostolica Marochiensis in Vicariatum Apostolicum erigitur . . . . . » 218

Litterae Apostolicae sub annulo « *In persona* », diei 14 Aprilis. quibus Praefectura Apostolica de Shire in Africa, in Vicariatum Apostolicum erigitur . . . . . » 220

Epistola « *Studiosa* », diei 24 Aprilis, ad Marianum Antonium Archiepiscopum Bonaërensium. Fidelibus Argentinis gratias agit de

collecta stipe ad domum, eamque magnifice exstructam et ornatam, Apostolicae Sedi comparandam, in usum Internuntii Apostolici . . . . . Pag. 222

Epistola « *Legimus vestras* », diei 1 Maii, ad Alumnos Collegii theologici Oenipontani a S. Nicolao. Gratias agit de communibus litteris ob solemnia sacerdotii Sui ad Se datis, obsequii et amoris in Apostolicam Sedem nobili pignore et religiosae disciplinae signo. Summo opere eos hortatur ut erga Cor Iesu pietatem et religionem, non minus quam incorruptam doctrinam, accurate diligenterque custodiant . . . . . » 224

Litterae Apostolicae sub annulo « *Mirabilis in Sanctis suis* », diei 3 Maii, quibus Ven. Dei Famulus Gabriel a Dolorosa Virgine ex Congregatione Clericorum Regularium Excalceatorum a Cruce et Passione D. N. I. C., Beati nomine et honoribus decoratur » 226

Epistola « *Tibi quidem* », diei 5 Maii, ad Miecislaum Episcopum Samogitiensem. Advertante quinto ac vicesimo Episcopatus eius natali, cleri populique gratulationibus Suas adiungit optatque ut ille omnes sibi subditos in caritate pacis coniunctos videre possit in annos multos . . . . . » 234

Epistola « *Nobis non minus* », diei 12 Maii, ad Rainerium Episcopum Maceratensem. Vehementer desiderat Pontifex ut aedem Maceratae, in honorem Mariae Immaculatae erigi coeptam, perfici brevi liceat et absolvi. Signum eburneum mittit S. Sebastiani Martyris, quod fidelibus ex Italia ad rem pro opibus adiuvandam sit incitamento . . . . . » 236

Epistola « *Proximo mense* », diei 20 Maii, ad Bernardum Episcopum Roffensem. Episcopalis honoris quadragesimum annum complenti, cleri populique gratulationibus Suas adiungit, atque fausta et felicia omnia cupit ex animo . . . . . » 238

Epistola « *Si quem nuper* », diei 3 Iunii, ad Iulium S. R. E. Presb. Card. Boschi, Archiep. Ferrariensem, ceterosque Archiepiscopos et Episcopos regionis Aemiliae. Gratias agit et gaudet de litteris, pietatis et officii plenis, e conventu Bononiensi datis. Dolet tamen eos iniuria temporum conventum ipsum Romae agere fuisse prohibitos . . . . . » 240

Epistola « *Propediem quum quinquaginta* », diei 4 Iunii, ad Henricum Episcopum Colossensem, quem quinquagesimo Sacerdotii eius exeunte anno, benevolentiae Suae testimonio afficit . PAG. 242

Decretum « *Dioecesium nimiam amplitudinem* », diei 7 Iunii, Sacrae Congregationis Consistorialis, quo dioecesis Sancti Pauli in Metropolitanam constituitur et novae ex eius territorio dioeceses eriguntur, nempe: Taubatensis, Botucatuensis, Campinensis, de Ribeirâo Preto et Sancti Caroli do Pinhal, quae tamen eidem novae archidioecesi uti suffraganeae subditae erunt . . . » 244

Epistola « *Quam tuo nomine* », die 17 Iunii, ad Iacobum S. R. E. Presb. Card. Gibbons, Archiep. Baltimorensem. Grati animi sensus pandit pro epistola ad Se data nomine Episcoporum, quorum laudat reverentiam, obsequium et amorem erga Apostolicam Sedem. Eis gratias agit quod pie commemorarint Se eo tempore sacerdotium inivisse quo B. M. V. ad *Lourdes* apparuit. quod iis visum est pignus praeseferre protectionis eiusdem: eosque hortatur ut eamdem Virginem Sanctissimam pro Ecclesia Gallica exorent . . . . . » 263

Epistola « *Ex communibus Litteris* », diei 20 Iunii, ad Andream S. R. E. Presb. Card. Ferrari, Archiep. Mediolanensem, ceterosque Episcopos eiusdem Provinciae. Grati animi pandit sensus ob communes litteras Sibi gratulantes quinquagesimum sacerdotii Sui natalem. Gaudet de studio quo prosecuti sunt virum ad ordinandam sacrae iuventutis disciplinam a Se missum, et de vigilantia adhibita ad novos coërcendos errores. De omnibus haberi testimonium dicit in Actibus Provincialis Concilii Sibi reverenter oblatis . . . . . » 266

Litterae apostolicae sub annulo « *Quae Catholico* », diei 22 Iunii, quibus paroecia rutheni ritus *Nagy-Karoly*, e dioecesi Magno-Varadinensi seiuncta, dioecesi Munchacsiensi Ruthenorum adiungitur. . . . . » 268

Epistola « *Exeunte mox* », diei 23 Iunii, ad Michaëlem De Maria, S. I., praefectum Studiorum in Athenaeo Gregoriano. Quinquagesimum complenti annum ab inita sacrarum disciplinarum traditione gratulatur, eiusque merita commemorat . . . » 272

Epistola « *Quod in Ecclesiae* », diei 25 Iunii, ad Felicem Episcopum Trevirensem. Probat Consociationem matronarum et virginum sacris adiutandis expeditionibus ad exteros, in urbe *Coblenz* institutam, cuius laudat studium vasa vestesque sacras apparandi, quorum copiam laeto animo in Vaticano vidit. Consociationem ipsam in totam Germaniam, finitimasque regiones propagari cupit, eique indulgentias et privilegia iam alias concessa confirmat . . . . . Pag. 274

Epistola « *Novimus exiturum* », diei 27 Iunii, ad Ignatium Body, sacerdotem Dominicanum. Consociationi « a Rosario Perpetuo », occasione L anniversarii ab eius institutione, de precibus sine intermissione ad Virginem latis gratias agit simulque probat commentarium menstruum *Couronne de Marie,* ab ea editum . . . . . » 276

Decretum « *Romanos Pontifices* », diei 29 Iunii, Sacrae Congregationis Consistorialis, quo Auxitanae archidioecesi, Lectoriensis, Condomiensis et Lombesiensis tituli adiunguntur. . . . . » 278

Litterae Apostolicae sub annulo « *In hac sublimi* », diei 3 Iulii, quibus ecclesia archiepiscopalis Castrifranci, in dioecesi Tarvisina, fit archipresbyteralis abbatialis, illiusque pro tempore archipresbyteri renuntiantur abbates . . . . . » 281

Epistola « *Certiores facti sumus* », diei 4 Iulii, ad moderatores Collegii Oenipontani, ceterosque sacerdotes e Societate Iesu eidem Collegio addictos. Quinquagesimum celebrantibus annum ab incepto in Collegio et sacrae Theologiae magisterio et Theologorum Seminario gratulatur de partis Ecclesiae fructibus et pro ea exantlatis laboribus. . . . . » 285

Epistola « *Quidquid consilii* », diei 8 Iulii, ad Andream episcopum Leopoliensem. Summopere Sibi cordi esse dicit unionem promovere Catholicam inter et Orientales ecclesias acatholicas. Probat theologorum conventum ad id Velehradii habitum, monet tamen ne, ad faciliorem efficiendum reditum acatholicorum ad Ecclesiam, quidpiam concedatur minus sanis doctrinis. » 287

Litterae Apostolicae sub annulo « *Romanorum Pontificum* », diei 8 Augusti, quibus ecclesia a S. Clemente Servorum, Immacu-

latae Conceptioni B. Mariae Virginis Senis dicata, titulo Basilicae minoris augetur . . . . . PAG. 289

Epistola « *E solemnibus Catholicorum* », diei 28 Augusti, ad Vincentium Card. Vannutelli, Episcopum Praenestinum. Confidit fore ut Conventus Eucharisticus Londinensis felicissimum exitum habeat. Commemorat caritatis, spei et fidei argumenta in divina Eucharistia inesse, in ea conficienda disciplinae unitatem demonstrari, et verum sacrificium fieri. Gaudet de delecta urbe Londino ad coetum ipsum agendum, cui Legatum Suum V. E. renuntiat . . . . . » 292

Epistola « *Iucundum Nobis* », diei 15 Septembris, ad Ludovicum Mariam De Silva-Ramos Decanum, ceterosque Doctores Decuriales S. Theologiae tradendae in universitate studiorum Conimbricensi. Gratias agit de communi epistola per solemnia Sacerdotii Sui, ex qua patet eorum reverentia erga Apostolicam potestatem, et summum ecclesiasticum magisterium; quae laus est antiqua Conimbricensis Athenaei . . . . . » 295

Litterae Apostolicae sub annulo « *Sanctos inter Antistites* », diei 18 Septembris, quibus Nolano Episcopo fit facultas, S. Paulini Episcopi corpus Nolam transferendi, eiusdem festum pro universa Ecclesia ad ritum duplicem evehitur, et dies sacra translationi Indulgentiis ditatur augetur . . . . . » 297

Litterae Apostolicae sub annulo « *In sublimi* », diei 19 Septembris, quibus dioecesis Neo-Westmonasteriensis, in dominio Canadensi ad Metropolitanae gradum evehitur, translata sede in civitatem Vancouver, a qua Vancouveriensis nuncupabitur, eique uti suffraganeae attribuuntur tum archidioecesis Victoriae in insula Vancouver, ad dioecesis gradum reducta, tum et Vicariatus Apostolicus de Yukon . . . . . » 304

Litterae Apostolicae sub annulo « *Pontificum Decessorum Nostrorum* », diei 22 Septembris, quibus e dioecesi Pembrokiensi in Canadensi regione seiungitur territorium boreale, quod in novum Apostolicum Vicariatum erigitur, de Temiskamingue appellatum. . . . . » 307

Litterae Apostolicae sub annulo « *Quae rei sacrae* », diei 23 Septembris, quibus ex archidioec. Chicagiensi in Foederatis Americae Septentrionalis Civitatibus certum territorium distrahitur et in novam dioecesim erigitur, Rockfordiensem nuncupandam PAG. 311

Epistola « *Quod solemnem* », diei 23 Octobris, ad Antonium S. R. E. Presb. Card. Fischer, Archiepiscopum Coloniensium. Ei gratias agit de munificentia et officiis omne genus, quibus una cum clero et populo solemnem memoriam sacerdotalis consecrationis Suae celebrarunt . . . . . » 314

Epistola « *Catholicos Canadenses* », diei 24 Octobris, ad Alexium Xystum, Episcopum S. Hyacinthi. Ei gratias agit de officiociosissima epistola, ad Se, nomine totius dioecesis, data ob quinquagesimum sacerdotii Sui natalem . . . . . » 316

Litterae Apostolicae « *Retulit ad Nos* », diei 31 Octobris, quibus Indulgentia plenaria in perpetuum conceditur fidelibus orationem a Cruciata precum nuncupatam recitantibus. . . . . » 318

Epistola « *Domum delectis* », diei 8 Novembris, ad Hyacinthum Mariam Cormier, summum magistrum Ordinis Praedicatorum. Ei gratulatur de nova exstructa domo ad alumnos ex omni natione delectos Aquinatis sapientia imbuendos; eique munus committit, novo conlegio, quod Pontificii titulo cohonestat, novas leges condendi, quibus et studiorum ordini et religiosae disciplinae observantiae provideatur. . . . . » 321

Litterae Apostolicae sub annulo « *Praeclara templa Dei* », diei 9 Novembris, quibus ecclesia S. Michaëlis Archangeli civitatis Paganorum, Conlegio Presbyterorum Saecularium Congregationis Ssmi Redemptoris adnexa, Basilicae minoris titulo augetur » 322

Epistola « *Tuum erga Nos* », diei 17 Novembris, ad Georgium S. R. E. Presb. Card. Kopp, Episcopum Vratislaviensium. Ei gratias agit de Petriana stipe, occasione sacerdotalis Sui iubilaei, munificenter oblata . . . . . » 325

Epistola « *Haud sane diu est* », diei 23 Novembris, ad Ambrosium Montagne, sacerdotem Ordinis Praedicatorum. Gaudet ei commissam fuisse directionem commentarii *Revue Tho-*

miste, loco Thomae Coconnier necopinato defuncti: eum adiutoresque eius hortatur ut plenum difficultatis opus persequantur, et doctrinam Aquinatis incorrupte propagare ac eius virtutes imitari summo studio nitantur . . . . . PAG. 326

Dubia « *Sanctissimus Dominus* », Supremae Sacrae Congregationis S. Officii, diei 26 Novembris, de Missis in nocte Nativitatis Domini in Religiosorum sacellis celebrandis . . . . . » 328

Litterae Apostolicae sub annulo « *Satis constat* », diei 27 Novembris, quibus ecclesia S. Laurentii in Lucina de Urbe titulo Basilicae minoris decoratur. . . . . » 330

Epistola « *Quam tu* », diei 8 Decembris, ad Henricum Archiepiscopum Hispalensem. Gratias agit de communibus Episcoporum litteris gratulatoriis ob solemnia Sacerdotii Sui, eosque laudat de studio divini cultus decorem et christianae societatis utilitatem promovendi . . . . . » 332

Epistola « *Is tuus liber* », diei 13 Decembris, ad Vitalem Lehadey, Abbatem ex Ordine Cisterciensium. Librum *Les voies de l'Oraison mentale,* ab eo confectum, Sibique oblatum laudat, et omnibus fidelibus fore utilem dicit . . . . . » 334

Epistola « *Vestra erga Christi Vicarium* », diei 19 Decembris, ad Bernardum Archiepiscopum Bogotensem, ceterosque Archiepiscopus et Episcopos Reipublicae Columbianae. Gratias iis agit de gratulatoriis litteris, eosque laudat de conventu inito, ad curandam gregis sui salutem. . . . . » 335

Litterae Apostolicae sub annulo « *Pia religiosorum* », diei 21 Decembris, quibus Coenobium cum adnexo Conlegio in oppido *Cobreces* Santanderiensis dioecesis canonice erigitur . . . » 337

Epistola « *Sacra solemnia* », diei 23 Decembris, ad Franciscum Xaverium, Episcopum Tarbiensem. Ei gratulatur de solemnibus habitis ob anniversarium Apparitionum B. Mariae Virg. Immaculatae, et gratias agit eo quod simul ea solemnia ad Iubilaeum Sacerdotii Sui recolendum fuerint directa . . . . . » 339